OBSERUATIONES IN IGNATIANAS PEARSONIJ VINDICIAS. ET...

Matthieu : de Larroque

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
8
32 - B
26
ROMA

8 - D, 23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

18-3.12
18
E
12
18
D
15

8, 32, E. 26

Digitized by Google

Digitized by Google

OBSERVATIONES IN IGNATIANAS PEARSONII VINDICIAS.

ET

IN ANNOTATIONES BEVEREGII

IN

CANONES SANCTORVM APOSTOLORUM.



ROTHOMAGI,

Apud IOANNEM LVCAS, propè Palatium.

M. DC. LXXIV.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

S. AVGVSTINVS lib. 2. dē moribus Manich. cap. 3.

Quæſo animad-vertite, quæſo vigilate, quæſo deponite ſtudia partium, & verum non vincendi, ſed inveniendi gratiâ quærite.

Digitized by Google

CLARISSIMO VIRO IOANNI DALLÆO.

PRODIIT non ita pridem VIR CLARISSIME Scriptorum Anglorum Trias, qui etſi diverſa tractârint ...umenta, in eo tamen convenerunt omnes, quod ...uſdam Parentis tui τȣ μακαρίτȣ *lucubrationi... aliquod vulnus infligere ſint conati; ſed ...ſſu parùm fœlici: Primus eorum Ioannes ...ſonius Presbyter, Vir ſanè doctus & in ...tiquitate Eccleſiaſticâ exercitatiſſimus,* S. ...tij Epiſtolarum Vindicias *edidit, ad...us ea quæ ſcripſerat Pater tuus, ut omni... ...anifeſtum faceret, ſuppoſititias eſſe quæ ...ij nomine circumferuntur Epiſtolas, & ...ſſimo Martyre prorsùs indignas: Secundus ...elmus Beveregius Presbyter ipſe quoque, ...hoc litterarum genere non ſine laude ver-*

ſatus, cùm ægrè ferret recentiorem quàm vellet Epocham, Canonibus qui Apoſtolorum nomen falsò præferunt, à præſtantiſſimo Dallæo aſſignatam eſſe, tertium illius librum de Pſeudigraphis Apoſtolicis *impugnandum quodammodo ſuſcepit. Tertius denique Matthæus Scrivenerus Presbyteri etiam nomine & dignitate gaudens, ejuſdem Dallæi Tractatum* de vſu Patrum *adortus eſt; ſed tantâ animi impotentiâ, ut convitijs illum certare dixeris, potiùs quàm rationum momentis: Quamobrem prætermiſſo iſto Scriptore qui ſibi temperare non poteſt ab obtrectationibus ac maledictis, in quibus præcipuum cauſæ quærit præſidium; Et obſervationibus quas in aliorum ſcripta exaravi contentus, ut auctoris maledicentiſſimi librum expenderem & confutarem à me impetrare non potui. Porrò has Obſervationes quæcunque ſint, meo ſtatim privato uſui deſtinaveram; fecit tamen tanti Viri Parentis tui nomen, cujus amicitiam dùm vixit ambitiosè colui, & cujus memoria mihi boníſque omnibus ſemper erit cariſſima, fecit, inquam, ut eas tecum mutato conſilio libenter communicarem.*

Digitized by Google

Vnum illius crimen ſi noſſe velis, audi, Epiſcoporum ὑπεροχὴν *ſupra Presbyteros ab hominum inſtitutione vel ab antiquâ admodùm conſuetudine derivavit, nec juris eſſe divini uſpiam confeſſus eſt: ingens piaculum ſi iſtis credis; nempe illa Epiſcopatus* ὑπεροχὴ *in delicijs eſt Viris hiſce Eruditis, qui eam impatienter diligunt; hinc fit ut corraſis undique argumentis, & conquiſitis rationibus, omnes ingenij vires explicent, ad probandum Epiſcopatus gradum, ſi non ab ipſo Chriſto, ſaltem ab illius Apoſtolis à Presbyteratus gradu ſejunctum eſſe, & utrumque ſeparatim inſtitutum, adeò ut ab initio duo fuerint ordines inter ſe diſtincti; Et quia deſunt ad probandum primæ Antiquitatis vera ac genuina monumenta, ad falſa, apocrypha, &* ὑποβολιμαῖα *confugiunt, qualia ſunt pluribus, quorum unus fuit Dallæus, Ignatianæ Epiſtolæ; omnibus verò Eruditis: Canones qui Apoſtolorum inſcribuntur; Nemo enim eſt in*

ſcriptis Patrum vel leviter verſatus, qui non ingenuè profiteatur, ſanctos Domini Apoſtolos Canones iſtos minimè condidiſſe; Quare omnis inter litteratos de hoc argumento controverſia, ad majorem vel minorem regularum iſtarum ſpectat vetuſtatem, aliis maturiùs ſancitas, aliis verò tardiùs conflatas exiſtimantibus. Cave tamen CLARISSIME DALLÆE ne ita meam mentem explices, velut Epiſcopatui qualis inter Proteſtantes Anglos obtinet infenſus eſſem, abſit à me talis animi cogitatio: Epiſcopatum enim ipſum juris eſſe divini ingenuè profiteor: Et quamvis Epiſcoporum eminentiam ſupra Presbyteros inſtitutionis eſſe merè humanæ firmiſſimè credam, præſtat tamen meo quidem judicio regimen illud Epiſcopale patienter ferre, eique ultrò ac ſponte ſe ſubjicere, quàm diſſidia aut Schiſmata illius occaſione excitare & fovere in Eccleſiâ, in quâ omnia ἐυσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν fieri debent:

Digitized by Google

Epiſcopos autem quod attinet , æquum
eſt ut aliquid infirmitati condonent hu-
manæ , ritus & cærimonias quæ ab
Evangelij ſimplicitate nimis diſcedere
pluribus videntur , in gratiam infirmo-
rum reſecent ; poteſtatem ſuam intra le-
gitimos coërceant limites iſtorum D. Pe-
tri verborum memores , non ut domi-
nantes Cleris , ſed ut ſitis exempla-
ria Gregis ; Synodos frequentiùs con-
vocent , in quibus condantur vel reno-
ventur decreta , veritati propagandæ ,
imperioque Domini noſtri Ieſu Chriſti
ſtabiliendo ac dilatando , apta atque ido-
nea , Presbyteranorum denique quos
vocant Miniſtros in numero fratrum
habeant , eoſque tanquam Symmyſtas &
in eodem Domini opere συνέργους amplectan-
tur , exemplo Prædeceſſorum qui arctiſ-
ſimam cum illis ſemper & Chriſtianiſ-
ſimam coluerunt unionem. Vtinam idem
ſentiamus omnes , nihilque habeamus
antiquius , quàm Dei gloriam & Eccle-
ſiæ ædificationem , ad quam referri de-

bent omnia ſtudia noſtra, ut dùm ſiſtemur apud Chriſti tribunal, eum nos ſic blandè ſingulos compellantem audire mereamur, ſerve bone & fidelis, ingredere in gaudium Domini tui. *Cæterum VIR CLARISSIME de nomine meo noli eſſe ſollicitus: expreſſum Scriptoris nomen nihil addit ejus lucubrationibus, ſuppreſſum nihil adimit: Vnum eſt quod à te ſciri vehementer cupio; ab amicâ videlicet manu proficiſci quæ tibi offeruntur obſervationes, eas ergo faventibus accipe oculis, ut certum ac ſincerum amicitiæ ſymbolum, meæque erga Parentis tui nomen nunquam moriturum reverentiæ ſempiternum pignus. Vale.*

Dat. in Muſæolo noſtro Nonis *Martij A. D.* 1674.

OBSER-

OBSERVATIONES IN PRIOREM VINDICIARUM PARTEM.

IGnatianæ eruditiſſimi Pearſonij vindiciæ à quibus noſtras inchoamus obſervationes, nihil aliud ſunt propriè quàm exceptiones ad Dallæi argumenta, quibus Epiſtolas quarum patrocinium ſuſcipit vir doctus, impugnare, eáſque à plano quodam S. Ignatio ſubditas eſſe demonſtrare aggreſſus eſt. Verùm ex numeroſiſſimâ Dallæanorum argumentorum turbâ, præcipua tantùm & magis neceſſaria ſelegi expendenda, non ſolùm quia varijs diſtractus occupationibus duo adverſus Pearſonium & Beveregium juſta conſcribere volumina vix permittor: ſed imprimis quoniam ex ijs quæ ab omnibus Pearſo- I.

nianis exceptionibus vindicaturi ſumus argumentis, liquidò conſtabit à ſcriptore S.Ignatio longè juniore conſarcinatas eſſe quas impugnavit Dallæus epiſtolas. Doctiſſimus vindiciarũ auctor in totius Operis Proëmio de ortu, progreſſu, & hodierno ſtatu controverſiæ fuſiſſimè tractat: In numero tamen Epiſtolarum non ei convenit cum Vſſerio ſuo Archiepiſcopo Armachano, Pearſonius enim ſeptem ab Euſebio S. Ignatio attributas cenſet, inter quas Epiſtolam ad Polycarpum numerandam eſſe contendit: Vſſerius verò non propter nullius momenti ſuſpiciunculas, ut ait vir quidam eruditus notis in hanc ipſam ad Polycarpum Epiſtolam, ſed validiſſimis, ut putabat, ad id impulſus rationibus Vſſerius, inquam, Ignatio eam abjudicat, nullámque *Polycarpo* privatim inſcriptam extitiſſe Epiſtolam arbitratur, ſed illam unicam quæ ipſi cum *Smyrnæis* ſuis communiter eſt dicata, pluréſque laudat ſuæ ſententiæ adſtipulatores, Proleg. ad Ignat. cap.2. pag. 8. immò hanc fuiſſe Hieronymi mentem non dubitat: quod imprimis colligit ex Honorio Auguſtodunenſi, qui in libro de *Luminaribus Eccleſiæ* (cui inquit Hieronymianum ſcriptorum catalogum in Epitomen à ſe redactum inſeruit)

Digitized by Google

Epiſtolam ad *Polycarpum* in cenſu ſcriptorum Ignatij planè prætermittendam eſſe judicavit, ita videlicet verbis Hieronymi acceptis, ac ſi nulla peculiaris ad *Polycarpum* data, intellecta hîc ab eo fuiſſet Epiſtola; ſed illa ad *Smyrnæos*, tùm eis tùm ipſi præcipuè, ut eorum *Epiſcopo* conjunctim inſcripta fuiſſet; nec deſunt hodie etiam in Eccleſiâ Romanâ hujuſce Vſſerij opinionis ſuffragatores, verbi gratia, Cardinalis Bona lib. I. *Rerum Liturgicarum* cap. 22. pag. 189. ibi enim reſpondens Baronio verbis quibuſdam Epiſtolæ ad *Polycarpum* abutenti, hæc habet *Addo quod hanc Epiſtolam non genuinum Ignatij fœtum eſſe, ſed ſuppoſititium viri eruditi dudum obſervarunt, & ad id probandum multa afferunt non parvi ponderis argumenta.* Hinc argumentum non leve deducitur adversùs omnes Ignatianas Sylloges Polycarpi Epiſtolas; nam ſi Epiſtola Polycarpo inſcripta in dubium vocatur, ſi incertæ eſt fidei, ſi ut ſpuria à pluribus rejicitur, ſi viri eruditi obſervarunt non genuinum Ignatij fœtum eſſe, ſed ſuppoſititium, ídque probarunt argumentis non contemnendis, ut aſſerit Cardinalis Bona, quis mihi cæterarum fidem præſtiturus eſt? Nutat iſtius fides; aliarum etiam fidem nutare neceſſe eſt; repe-

riuntur omnes in eâdem collectione, ergo vel tota approbanda ſylloge vel tota reprobanda, partim reprobari, partim autem probari non poteſt, alioquin ſequeretur unum eundémque unius ejuſdémque ingenij fœtum, partim genuinum partímque ſuppoſititium eſſe, quod fieri nequit; niſi fortè aliquid alienâ manu aſſutum demõſtretur. Nam quemadmodum in Logicis unicus ſufficit ut ita dicam defectus, ſeu potiùs unica exceptio ad evertendam univerſalem propoſitionem affirmantem, ſic ad omnem alicui ſcripto fidem detrahendam unica ſufficit ſuppoſitionis nota; jam autem quodnam iſto majus excogitari poteſt ſuppoſitionis τεκμήριον? in ſylloge quâ de agitur ſeptem extant Epiſtolæ *Ignatio* æqualiter attributæ, tamen quæ inter illas ad *Polycarpum* data eſt, ab *Vſſerio*, à *Cardinale Bona* alijſque ſuæ communionis viris eruditis, tanquam ſuppoſititia & Ignatio indigna rejicitur: Nonne eâdem ratione reſpuẽda erit univerſa ſylloge quæ tanto laborat incommodo, & quæ ſuo ſe prodit indice? Nec me movet quod Vſſerius Hieronymi verba ita explicat, ac ſi intactis ſex iſtius ſylloges Epiſtolis, ſolam quæ ad Polycarpum data eſt, è cenſu ſcriptorum Ignatij expungere ſibi liceret;

Digitized by Google

cùm enim Hieronymus ſua de Ignatianis ab Euſebio mutuatus ſit, liquet veram mentis illius interpretationem ab ipſo Euſebio eſſe petendam, Euſebius verò non minùs diſertè loquitur de Epiſtolâ Polycarpo inſcripta, quàm de cæteris in collectione Polycarpiana comprehenſis; ſi igitur ficta eſt & ſuppoſititia Epiſtola *Polycarpo* inſcripta, ut volunt quidam viri docti Pearſonio hac in controverſia minimè ſuſpecti, periclitabitur ſanè de falſo tota ſylloge, & deinceps à naſutis & ſagacibus velut ſcriptum ſubleſtæ fidei reputabitur. Hoc vidit eruditus Pearſonius, & illi ſeriò dolens quod Vſſerius de numero Epiſtolarum ab illo diſſentiret, nihil in proëmio intactum reliquit; ut iſtius ad *Polycarpum* Epiſtolæ vacillantem fidem firmaret, eíque labanti humeros ſubſterneret: Verùm pace tanti viri dixerim, non æquum eſt ut Pearſonij & ὁμοψήφων ſententia, Vſſerij & aliorum eruditorum ſententiæ præponderet, viri ſunt utrínque docti, Ignatianorum fautores, eorúmque flagrantiſſimo amore correpti; intereà ex eorum conflictu hoc emolumenti ad nos redit, quod ſibi contrarij eſſe non poſſunt, quin nobiſcum faciant, nimirum id agunt ſua diſſenſione, ut ſyllogen illam

cui præcipuè innititur tota Pearſonianæ diſputationis moles, nobis magis ac magis ſuſpectam, dubiam & ancipitem reddant; ac proinde inutilem ad probandum quæ probanda vir doctus in ſe receperat.

II. Verùm ad ipſas accedamus vindicias quas in duas partes diviſit Autor, in capite autem tertio prioris partis dicit argumentum de ſcripti viri Apoſtolici à teſtimonijs petitum fallere non poſſe, nimirùm poſt enumerata in capite ſecundo omnia veterum teſtimonia quæ coacervare potuit, ad ſuam de Ignatianis hypotheſim ſtabiliendam & firmandam, hæc habet initio capitis tertij, *certè habemus argumentum de ſcripto viri Apoſtolici Eccleſiaſtico locupletiſſimũ firmiſſimúmque, & quale nunquam adhuc quemquam fefellit, neque ſi cætera reſpondeant, quæ in argumento interno afferemus, fallere potuiſſe putandum eſt*. Hæc obſervatio quæ viro erudito tanti viſa eſt, majorem mihi lucem deſiderare videtur, nam per ſcriptum illud viri Apoſtolici, vel intelligit ſcriptum cujuſdam Apoſtolorum Diſcipuli, quales fuerunt *Clemens, Ignatius, Polycarpus*, vel ſcriptum viri cujuſdam Apoſtolorum Diſcipulis æqualis vel ſupparis, quales iterùm fuere *Iuſtinus martyr* cujus Martyrium *Polycarpi*

martyrio prius fuit, & *Irenæus* qui vir audiebat Apoſtolicus,& plures alij qui Apoſtolici dici meruerunt. Quoquò ſe vertat vir doctus causâ cadet, ſi enim priùs intelligit, quid inde collecturus ſit non video, colliget forſan *Ignatium* legitimum eſſe parentem Epiſtolarum de quibus controvertitur; ſed ſi hanc elicit concluſionem petit τὸ ἐν ἀρχῇ., & quod eſt in quæſtione ſupponit, quia Dallæus has Epiſtolas genuinum eſſe *Ignatij* fœtum negabat, & prætereà pertendebat trium primorum ſæculorũ teſtes, quos Ignatianorum fautores adducere ſolent inteſtabiles eſſe, vel ſaltem nullius ferè ponderis, cùm ſcripta è quibus teſtimonia eruuntur dubia ſint, ideóque fidei faciendæ haud idonea, expendenda ergò erant celeberrimi Dallæi argumenta, antequam clariſſimus Pearſonius iſtam quam examinamus eliceret concluſionem. Si verò poſteriùs intelligit, nempè ſcriptum viri cujuſdam Apoſtolorum Diſcipulis æqualis vel ſupparis, falſus eſt ſua opinione vir eruditus, & ne longiùs abeam, unico contentus ero exemplo, ex quo liquebit hallucinatum eſſe virum doctum; Exemplum autem deſumptum erit è libris ſibyllinis qui conſcripti ſunt ut probavit Blondellus no-

ſter, circa annum Æræ Chriſtianæ 142. plus minus, quicquid enim dicit Pearſonius in toto illo capite tertio ſupra laudato, de teſtimonijs in gratiam Ignatianorum adductis, dici etiam poteſt de ijs quæ afferri poſſunt in gratiam ſibyllinorum oraculorum, certè neque plura, neque majora, neque certiora extant pro Ignatianis ſuffragia in veterum Chriſtianorum monumentis, quàm pro ſibyllinis, ſaltem ſi ſæcula iſta percurras, ſecundum ſcilicet, tertium, quartum & quintum; cùm enim viciniora ſint temporibus quæ inveſtigamus, quin majoris momenti eſſe debeant remotioribus, nemo ut opinor inficias ibit, adducit quidem Pearſonius pro ſuis Ignatianis *Polycarpum & Irenæum* ſecundi ſæculi teſtes, ego pro ſibyllinis afferam *Iuſtinum Martyrem*, *Athenagoram*, *Theophilum Antiochenum Epiſcopum*, *Clementem Alexandrinum*, ejuſdem ſæculi ſcriptores, *Origeni* à Pearſonio citato pro tertio, opponam eundem *Clementem* qui primos illius ſæculi annos attigit, *Tertullianum*, *Lactantium* qui tertio & quarto floruit, hoc tamen intereſt inter utráque teſtimonia, quod ea quæ Pearſonius adducit pro Ignatianis, petita ſint è monumentis quorum fides nutat atque vacillat,

lat,

lat, ſcripta verò quæ argumenta in gratiam ſibyllinorum ſubminiſtrant & ſufficiunt, certiſſima ſunt & indubitata; cum *Pſeudo-Dionyſio Areopagitâ*, *Euſebio & Chryſoſtomo*, quarti ſæculi teſtibus à Pearſonio delectis, conferam *Lactantium*, *Autorem conſtitutionum Apoſtolicarum*, hoc ſæculo ut quibuſdã placet conſarcinatarum, *Conſtantinum Imperatorem*, *Euſebium*, *Optatum*, *Milevitanum*, & cum *Theodoreto* & *Gelaſio* Papa primo, qui ad quintum pertinent, *Hieronymum*, *Auguſtinum*, *Proſperum*, *Palladium*, *Sozomenum*; à cæteris ſæculis examinandis libens ſuperſedeo; nam quæ hactenus diximus abundè ſufficiunt ad convellendam Pearſonij ratiocinationem, unum tamen addere lubet, nempè hanc obſervationem Autoris indicis Chronologici & indicis Alphabetici Magnæ Bibliothecæ Patrum. *Sibyllarum Oracula magnæ fuiſſe apud primos Chriſtianos autoritatis, nemini in antiquorum Patrum ſcriptis vel leviter verſato, poteſt eſſe dubium, quippe ad quorum lectionem ipſum S. Paulum Chriſtianos adhortatum fuiſſe, teſtis eſt Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum.* Quæ dicit de Clemente Alexandrino veriſſima ſunt, & ſummam ſibyllinorum Oraculorum continent commendationem; conſtat tamen inter eruditos

quorum præjudicata opinio non obruit judicium, ſibyllina illa Oracula à plano quodam & impoſtore, ſæculo ſecundo circiter medio conficta eſſe, fallere ergo poteſt argumentum à teſtimonijs ductum, neque fallere modò poteſt, ſed etiam reipſa fallit, claudicat igitur Pearſonij ratiocinatio quàm tanto viro excidiſſe doleo. Dicet fortèan Pearſonius, ſibyllinos libros non eſſe ſcriptum Eccleſiaſticum, neque ſcriptum viri Apoſtolici, ſed utrúmque negari poſſet, primum quidem, quia ſuum occupat locum in Bibliothecâ SS. Patrum, quia Antiqui Eccleſiæ Doctores plura ex his libris ſumpſerunt ad ſua probanda dogmata, & quia denique ab homine Chriſtiano conflatum eſt; ſecundùm itidem, nam etſi impoſtor qui ſua ſomnia nobis vendidit, Apoſtolicus non fuerit ratione doctrinæ, fuit tamen ratione ætatis, ſuppar quippè, imò aliquo modo æqualis *Ignatio & Polycarpo* Apoſtolorum Diſcipulis, ſua enim conſarcinavit figmenta triginta circiter annos poſt paſſionem *Ignatij*, & viginti quatuor ante *Polycarpi* martyrium. Verùm enimverò ut omnis cavillandi anſa viro docto præcidatur, concedamus illi ſcriptum ſibyllinum non eſſe ſcriptum Viri Apoſtolici Eccleſiaſticum, quid inde deducetur, iſtud nimirum, ar-

gumentum de ſcripto non Eccleſiaſtico & viri non Apoſtolici à teſtimonijs petitum fallere poſſe, cùm idem argumentum de ſcripto viri Apoſtolici Eccleſiaſtico nunquam fallat, mira profectò conſequentia; nempè veteres Eccleſiaſtici ſcriptores varias pro arbitriò induebant formas, variíſque erant ornati dotibus, pro varijs librorum characteribus, de quibus teſtimonium erant laturi, adeò ut aliorum reſpectu eſſent planè ἀναμάρτητοι, & extra errandi periculum atque aleam conſtituti, cæterorum autem reſpectu errori obnoxij & tales ut fides illis adhiberi nequeat nec debeat; nonne hæc ſunt ſuavia vigilantium ſomnia è ſolo cauſæ ſtudio nata; præſertim cùm in Ignatianis Epiſtolis deprehendantur ſuppoſitionis notæ, æquè ac in libris ſibyllinis.

Sed agè tranſeamus ad caput vindicia- III.
rum quartum, quod capiti ſcripti Dallæani quarto reſpondet, protulerat Dallæus ſtichometriam Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani, non ad depellendam invidiam tantùm ut ait Pearſonius, vox *tantùm* Dallæi non eſt, ſed etiam ad ſuam de Ignatianis ſententiam conſtituendam, en tibi ipſiſſima Dallæi verba pag. 243. *Quanquam nos quidem ſtichometriam hoc loco, non tàm ad conſtituendam no-*

ſtram de Ignatianis ſententiam, quàm ad depellendam invidiam aſſerimus, qui ita loquitur ſatis ſupérque innuit ſtichometriam in utrúmque finem à ſe adductam fuiſſe, quamvis illam fateatur adduxiſſe ſe in eum præcipuè finem, ut probet Salmaſium & Blondellum non fuiſſe primos qui Ignatianas Epiſtolas confictas putarent, ſed attende quæſo quomodo ſibi caverit vir ſagaciſſimus iſtis verbis *hoc loco*, nempè primus Dallæi ſcopus hoc loco fuit, depellere invidiam ſummis viris Salmaſio & Blondello iniquè conflatam, quaſi omnium mortalium primi Ignatiana repudiaſſent, ſalvo tamen jurè eâdem utendi ſtichometriâ, dum ſeſe offeret occaſio, ad ſuam hypotheſim confirmandam; immeritò igitur Pearſonius Dallæum hanc ſtichometriam adducentem reprehendit, eúmque in adducenda affectatæ ambiguitatis ſeu obſcuritatis inſimulat, cùm tamen ita dilucidè loquutus ſit, animíque ſenſa tam clarè támque perſpicuè expreſſerit, ut ejus ſermo nemini niſi ſpontè cæcutienti ambiguus aut obſcurus videri queat; Quidquid ſit quia Nicephori ſtichometria Pearſonio incommodat, ſeſe in omnes partes verſat, ut ejus autoritatem frangat, robúrque enervet ac debilitet; ſed fruſtrà ſe torquet, non enim rationi-

bus & conjecturis concuti & convelli ſolent, facta omnibus veri notis & characteribus inſignita, & præterea codicum omnium manuſcriptorum & impreſſorum fide ſuffulta, niſi fortè velit vir doctus animum reddere morituræ jamjam Arnaldi Sorbonici methodo quâ Eccleſiæ traditionem veterum ſubnixam teſtimonijs, leviſſimis quibuſdam rationibus evertere früſtra conatus eſt. Nicephoro ſocium dedit Dallæus Anaſtaſium Bibliothecarium, hominem noni ſæculi, Nicephoro ſupparem, cujus hæc verba adfert pag. 244. ex Præfatione Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad Ioannem Diaconum; *Huic ſanè operi ratum duxi B. Nicephori Conſtantinopolitani Epiſcopi Chronographiam præponere; ut ſcilicet & ex ea poſſis aliquantula carpere, & ſicubi fortaſſis hac utendum judicaveris, tuam non lateat omninò notitiam.* Deinde obſervat idem Dallæus hujus Chronographiæ partem ultimam eſſe illam librorum à ſe laudatam ſtichometriam, Patriarcharum Chriſtianorum indiculis ſubtextam; quam quidem ſtichometriam editio Anaſtaſij Regia a. 1649. Lutetiæ procurata, exhibet in calce hiſtoriæ Anaſtaſianæ, ubi planè ſic, ut in Græcis Nicephori, Ignatiana in Apocryphorum Novi Teſtamenti cenſu reponuntur, ac proinde ab utróque

Nicephoro inquam qui ſtichometriam edidit, & Anaſtaſio qui adoptavit, tanquam ſpuria & adulterina octingentis abhinc plus minùs annis damnata ſunt & reprobata. Sed ut aliquid ampliùs dicam, vehementi ſollicitor ſuſpicione ut credam iſtam quâ de agimus ſtichometriam Nicephoro ipſo vetuſtiorem eſſe, neminem enim eorum, qui hæc ſtudia vel ſummis labris deguſtarunt, latere puto, horum indiculorum uſum diù ante Nicephorum obtinuiſſe; à verò igitur non abhorret Nicephorum iſtam ſtichometriam à ſcriptore ſe admodum vetuſtiore habuiſſe, vel potiùs eam in calce antiquiſſimi cujuſdam ſacrorum librorum codicis nactam ſibi adoptaſſe, ſuæque chronographiæ ſubtexuiſſe, quod ſi ita eſt ut conjicio, auguſtiori augebitur autoritate ſtichometria, longéque majoris erit ponderis.

IV. Eruditus Pearſonius ut ictum lethalem à Nicephoro & Anaſtaſio ante octo ſæcula Ignatio ſuo illatum declinet, ludit in ambiguo, & dubiâ ſeu homonymâ vocis *apocryphi* ſignificatione abutens, dicit Nicephorum, dùm Ignatiana inter apocrypha numerat, nihil aliud voluiſſe niſi Ignatij Epiſtolas eſſe à Canone S. ſcripturæ removendas, opponendo videlicet *apocrypha*

libris divinitus inſpiratis, non autem Eccleſiaſticis qui utiliſſimi ſunt, & à Pijs cum magno fructu legi poſſunt & debent, ingenioſa viri ſolutio, ut illi quidem videtur, ſed quæ plus ſubtilitatis habet quàm ſoliditatis, non quæritur propriè quot modis uſurpetur vox *apocryphum ſeu apocryphus*, ſed quo ſenſu id vocabulum à Nicephoro ſumatur, conſulenda igitur illius ſtichometria, ut videamus quænam ſunt iſta, quæ ille *Apocrypha* cenſet. I. inquit, *itinerarium Petri verſuum 2750.* II. *itinerarium Ioannis verſuum 3600.* III. *itinerarium Thomæ verſuum 1600.* IV. *Evangelium ſecundum Thomam verſuum 1300.* V. *Doctrina Apoſtolorum verſuum 200.* VI. *Clementis libri xxxij. verſuum 2600.* VII. *Ignatij, Polycarpi, Paſtoris, & Hermæ libri.* Quibus omnibus hunc titulum præfixit, *quæ Novi Teſtamenti ſunt apocrypha:* jam quivis videt hæc omnia à Nicephoro in eodem apocryphorum cenſu reponi, ideóque vel omnia ab ea damnari, vel omnia abſolvi, utráque enim uno eodémque ſimpliciſſimo apocryphorum elogio donata ſunt, ſi igitur hoc elogio Ignatiana ad inſignem in Eccleſiâ honoris gradum evecta ſunt, eodem pariter frui honore, & ad eandem gloriam promoveri debent itineraria & Clementina, eodem cum Igna-

tianis elogio donata; itineraria autem & Clementina & cætera in indiculo comprehenſa & recenſita Nicephori elogio notata ſunt & damnata; Ergo velit nolit vir doctus eadem quoque decretoriâ ſententiâ damnata notatáque itidem fuiſſe Ignatiana neceſſariò fatendum eſt; omnibus enim iſtis libris una eadémque ignominiæ nota à Conſtantinopolitano Patriarcha inuſta fuit & impreſſa, eos omnes extra omnem ſcripturarum non modò divinarum, ſed etiam eccleſiaſticarum probatarum & authenticarum cenſum ejiciendo, & ad eas relegando, quæ cavendæ ſunt, & à publica Eccleſiæ luce removendæ. Et ne diutiùs in iſtis immoremur, attendatur quæſo ordo quem ſequutus eſt Nicephorus in Veteris Novíque Teſtamenti libris recenſendis, utriúſque enim fœderis libros in claſſes diſtinxit, prima exhibet libros Veteris Teſtamenti canonicos ab omnibus fidelibus recipiendos, ſecunda canonicos Novi, tertia Veteris ἀντιλεγομένους id eſt eos quibus contradicitur, vel ut alij loqui amant dubios ſeu dubiæ autoritatis, quarta Novi ἀντιλεγομένους, quinta verò & ultima ejuſdem Novi fœderis apocryphos; nempè duas modò librorum Veteris Teſtamenti conſtituit claſſes, canonicorum alteram, alteram verò ἀντιλεγο-

μένων,

μένων, tres autem librorum Novi Fœderis, primam Canonicorum pariter, ſecundam ἀντιλεγομένων, tertiam apocryphorum, apocryphorum inquam, qui quò magis diſtant à Canonicis, eò ſunt deteriores, diſtant autem magis à Canonicis quàm dubij ſeu ἀντιλεγόμενοι, ergo pejoris ſunt notæ apocryphi quàm dubij, hæc ſaltem mens Nicephori qui dubios opponit tantùm Canonicis, apocryphos verò è quorum numero ſunt *Ignatiana* utríſque Canonicis videlicet & dubijs; libri igitur apocryphi ſunt Nicephoro, libri falſi, ficti & adulterini; Eadem mens Henrico Valeſio viro doctiſſimo, qui libros apocryphos diſcernens ab ijs quorum ambigua eſt inter ſcriptores auctoritas, ita loquitur, *magnum diſcrimen eſt inter libros apocryphos, & eos quorum ambigua eſt inter ſcriptores auctoritas. Nam apocryphi palàm falſi ſunt, & ab hæreticis ut plurimùm conficti*; quod probat Hegeſippi antiquiſſimi ſcriptoris teſtimonio, ſeu potiùs Euſebij hæc de illo narrantis, *Hegeſippus agens de libris qui apocryphi dicuntur, quoſdam eorum ſua ætate ab nonnullis hæreticis compoſitos eſſe ſcribit*; hæc præterea Hieronymi verba ex libro ſecundo adverſus Ruffinum adducit idem Valeſius, *apocrypha Eccleſia non recipit.* Eodem planè ſenſu apocrypha definit Gelaſius in ſuo Decreto

in cap. 14 lib. 6. Euſeb.

Euſeb. lib. 4. c. 22. extr.

Digitized by Google

de quo ſumus acturi; Ergo Nicephorus per ſcripta apocrypha peſſimæ notæ ſcripta intellexit, eáque ab Eccleſiâ penitùs eliminanda cenſuit: quod autem objicit Pearſonius de Polycarpi epiſtolâ ad ſtichometriæ auctoritatem labefactandam, ſuo loco diſcutietur; quæ dicit de doctrinâ Apoſtolorum, de libro videlicet Apoſtolorum Διδαχὴ cognominato, nihil ad rem quâ de agitur; non enim quæritur quo jure Nicephorus hunc librum damnarit, ſed num damnarit, conſtat de facto, de jurè non eſt quòd anxiè ſolliciti ſimus; idem eſto judicium de *libris Clementis* *XXXII.* ſed inquit Pearſonius *non docet Dallæus quænam fuerint illa Clementina quæ in hoc Indiculo memorantur*, quid tum, neſcivit Dallæus, neſcit ipſe Pearſonius & niſi me fallit animus, ignorant hodie litterati omnes, etſi vir quidam eruditus conjecturis ſuis id aſſequi nuper tentarit, ſed ſi quæ fuerint illa Clementina nos hodie ignoramus, non ignoravit Nicephorus, & quia plura in illis ſuppoſitionis animadvertit τεκμήρια, pluréſque reprobæ doctrinæ notas, ea cenſuræ ſuæ obelo jugulare ac confodere non dubitavit.

pag. 39.

Cotelerius in Clement. pag. 404

V. Sed majorem Viro docto moleſtiam creat ſententia adverſus Hermæ librum lata, ut autem Dallæum ex libri Hermæ

cenſurâ contra Ignatiana argumentantem inducat, hæc obſervat Pearſonius, *Quintò, quod Hermas cum Ignatianis nominetur, negari non poſſe volunt* (nempè Dallæus & ὁμόψηφοι) *quin Nicephorus eadem habuerit pro falſis, adeóque fictis & ſpuriis.* *pag.* 39.
Tamen Dallæus libri Hermæ reſpectu, reſpondentis vices agebat, non opponentis, *Dall. pag.* 248.
ut liquet ex iſtis ipſius Dallæi verbis, *quod verò de Herma addunt viri doctiſſimi* (Vſſerius videlicet & Hammondus) *neque id quicquam eorum cauſam juvat*, quibus hæc virorum illorum doctorum verba ſubnectit, *Hermam*, (inquiunt) *Nicephorus in eadem cum Ignatianis apocryphorum claſſe repoſuit*; huic autem objectioni in ſequentibus reſpondet Dallæus. Verùm demus clariſſimo Pearſonio Dallæum collegiſſe ex Hermæ cenſurâ Nicephorum Ignatiana habuiſſe pro fictis ac ſpuriis, quid inde illaturus eſt in gratiam ſuæ hypotheſis, nempè contrarium evinci poſſe, ſi vetuſtiſſimorum ut ait doctiſſimorúmque in Eccleſia ſcriptorum de libro Hermæ ſententiæ animadvertantur: cùm enim plures è veteribus de hoc libro cum laude loquuti ſint, eóſque, ſi Pearſonium audimus, ſequutum fuiſſe Autorem ſtichometriæ par ſit credere, infert vir doctus Nicephorum cui iſta tribuitur ſtichometria,

Ignatiana ſua ad apocrypha id eſt peſſimi commatis ſcripta minimè ablegaſſe; Et ut voti ſui compos eſſe queat, multa veterum ſcriptorum congerit teſtimonia libro Hermæ favorabilia, ſcilicet Irenæi, Clementis Alexandrini, Origenis, Euſebij, Athanaſij, Didymi, Ruffini, Hieronymi, Caſſiani, & Maximi Pſeudo-Dionyſij Areopagitæ ſcholiaſtis; ſed plura regeri poſſunt adverſus hæc teſtimonia à Viro docto allata. 1. agitur hîc de Nicephoro, non de teſtibus à Pearſonio adductis, de Nicephoro, inquam, qui à teſtibus citatis ſeorsùm abit, eum ipſum librum quem illi laudant in apocryphorum cenſu reponendo; & à publicâ Eccleſiæ luce removendo; ſed ait vir doctus par eſt credere ſtichometriæ Autorem ſcriptores illos ſequutum eſſe, imò par eſt credere non ſequutum eſſe, ſcriptores enim illi de libro Hermæ ſine præfatione honoris, ut ita dicam, non loquuntur; à Nicephoro autem iſtiùs ſtichometriæ Autore damnatus fuit & notatus, non ad honorem profectò, ſe ad labem atque ignominiam ſempiternam; miror ſanè virum doctum conjecturis ſuis adeò indulgere, ut illis quantumvis leviſſimis vel ſtichometriæ fidem detrahere, vel illius Autorem in ſuas partes ducere poſſe putet. 2. quidam ex ipſis

Pearſ. pag. 39. 40. 41. 42.

Pearſonij teſtibus ſatis innuunt iſtum librum Hermæ à pluribus non recipi, imò à quibuſdam penitùs contemni, quidni igitur à Nicephoro deſpectus fuerit, & velut apocryphus notatus atque damnatus, & ne hæc à nobis gratis confingi putes, attende ad iſta verba Origenis ſummi alioquin iſtiùs libri laudatoris, *ſi cui ſcriptura illa recipienda videtur, ſi cui libellus ille recipiendus videtur*, & lib. 4. de Principijs cap. 2. & in Philocalia cap. 1. *ideò nos & illud in Paſtore; libro qui à quibuſdam contemnitur, &c.* Hieronymus qui in ſcriptorum Eccleſiaſticorum Catalogo, obſervavit hunc librum apud quaſdam Græciæ Eccleſias publicè legi, & revera utilem eſſe, de illo tamen alibi dubitanter loquitur, *ſi cui tamen*, inquit, *placet illius recipere lectionem*, neque id ſolùm, ulteriùs progreditur, eúmque rotundè apocryphum pronuntiat; *Liber ille apocryphus ſtultitiæ condemnandus eſt in quo ſcriptum eſt, quendam Angelum nomine Tyri præeſſe reptilibus*; alluditantem ad verba quæ extant in *Hermæ Paſtore* lib. 1. viſione 4. cap. 2. neque in ſolo apocryphi elogio conſiſtit Hieronymus, illum prætereà librum ſtultitiæ condemnandum eſſe aſſerit; quid viliùs, quid deſpectiùs de quocunque libro dici poteſt; 3. hic liber adeò

Origen. Hom.8. in num. & Hom. 1. in Pſ. 37. & alibi.

Hieron. in cap. 7. Oſ.

Id. in cap. 1. Habac.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

vilis erat pretij ut Latinis vel ignotus fuerit, vel ab illis contemptus, vel denique damnatus; primùm aſſerit Hieronymus, *apud Latinos*, inquit, *penè ignotus eſt*; ſecundùm docet nos Proſper, diſputans enim contra collatorem, Ioannem videlicet Caſſianum qui teſtimonium de libro Paſtoris adduxerat, contemptim de illo libro loquitur, & nihili faciendum ſignificat, teſtimoniúmque quod de libro Hermæ diſputationi ſuæ inſeruerat Caſſianus, *nullius authoritatis teſtimonium* indigetat; & meritò ſanè, cum S. Proſper modeſtiùs loqui non potuerit de libro qui ſcriptori in Semipelagianorum caſtris ut quibuſdam placet militanti, adverſus Catholicos gratiæ Chriſti defenſores & patronos, arma ſufficit; tertium denique caput librum ſcilicet Hermæ à Latinis damnatum eſſe, ita exploratum eſt, ut de eo dubitari non liceat; Dallæus hæc reſponderat Vſſerio & Hammondo qui ægrè ferebant Hermam à Nicephoro in eadem cum Ignatianis apocryphorum claſſe repoſitum fuiſſe; Quidni reponeret, *cujus ſcripturam adulterinam* dicit Tertullianus, *ab omni Concilio Eccleſiarum, inter apocrypha & falſa, jam olim ſuo ævo* (id eſt circa initia tertij à Chriſto nato ſæculi) *judicatam* fuiſſe docet ex quibus Tertulliani

Hieron. in catal. in Herm.

Proſp. contr. collat. c.30.

Dall. pag.248.

verbis liquidò confirmari aſſerebat vir clariſſimus, *apocrypha* à Nicephoro, quæ recenſet, damnari, ut ficta vel periculoſa; non laudari vel ornari, ut divinis proxima, & poſt ea ſecundo in Eccleſia loco cenſenda, *quod eſt*, inquit, *doctiſſimorum virorum dictatum* (Vſſerium & Hammondum intelligit) ſed ut iſta magis ac magis eluceſcant, integrum Tertulliani teſtimonium adducendum eſt, *cederem tibi, ſi ſcriptura Paſtoris, quæ ſola mœchos amat, divino inſtrumento meruiſſet incidi, ſi non ab omni Concilio Eccleſiarum etiam veſtrarum inter apocrypha & falſa judicaretur, adultera & ipſa*; Quid ad hæc clariſſimus Pearſonius, primùm quædam adfert ex Tertulliani libro de Oratione ab eo adhuc Catholico exarato, in illo enim libro meminit, Hermæ ejúſque ſcripturæ quæ Paſtor inſcribitur; ſed hæc viri docti cauſam minimè juvant, agitur ibi de quadam ſedendi conſuetudine oratione peractâ, quam ſedendi conſuetudinem damnat Tertullianus, etſi illius ignoret originem, ſuſpicatur tamen hunc morem à Paſtoris libro initium duxiſſe, *niſi*, inquit, *ſi Hermas ille, cujus ſcriptura ferè Paſtor inſcribitur, tranſactâ oratione non ſuper lectum aſſediſſet.* Qui de aliquo libro ita loquitur, ſignificat librum illum ſibi contemptui

Tertul. de pudic. cap. 10.

Tertul. de Orat. cap. 12.

eſſe, nullóque in pretio à ſe haberi: ſed inquit ſecundò vir doctus, *Tertullianus non rejicit libri autoritatem, ſed admittit*; pace tuâ inquam ego vir clariſſimè, non admittit Tertullianus libri autoritatem, eam potiùs rejicit, illum videlicet deſpiciendo, & conſuetudinem quam ab eo libro manaſſe conjiciebat, reprehendendo & damnando; tertiò Pearſonius dicit conſuetudinem ſedendi finitâ oratione à Chriſtianis quibuſdam Tertullianei ævi obſervatam, oſtendere quanto tùm in pretio liber ille Hermæ fuit, ut ex eo ritus in Eccleſiæ diſciplinam transfunderetur. Miror hæc viro docto in mentem venire potuiſſe, quaſi verò, ritum quo de agimus in Eccleſiam transfuſum dicemus, quia à quibuſdam Chriſtianis, ijſque ut videtur ſimplicibus, obſervabatur; eadem planè ratione colligam ritum cereos accendendi in honorem Martyrum in Eccleſiam Hieronymi ætate transfuſum fuiſſe, quia à Chriſtianis quibuſdam pariter obſervabatur; ſed tantùm abeſt ut Hieronymus iſtam eliciat Pearſonianam concluſionem, quod potiùs eam damnet conſuetudinem, quemadmodum aliam damnaverat Tertullianus, eóſque reprehendat, *qui propter imperitiam, & ſimplicitatem ſecularium hominum, vel certè religio-*

Pearſ. p. 43.

Hieron. contr. Vigilant. c. 3.

ſarum

ſarum fœminarum , hoc pro honore Martyrum faciunt. Quidquid ſit, Tertullianus, inquiunt, Montaniſta erat dum Hermæ librum apocryphi elogio donavit, fateor, ſed propterea nihil ejus teſtimonio decedet, nec minorem merebitur fidem; ſi de re Montaniſtas inter & Catholicos controversâ ageretur, non audiendus eſſet Tertullianus, ſed cùm agatur de Hermæ libro non à Montaniſtis modò, verum etiam à Catholicis proſcripto & ad apocrypha relegato, nulla poteſt dari legitima ratio ob quam repudiandum ſit Tertulliani teſtimonium; notatus fuit à Veteribus Tertullianus quod à Catholicis ad Montaniſtas deſciverit, ſed à nemine quod ſciam reprehenſus, quod Paſtoris librum in apocryphorum cenſu repoſuerit; præterea non ipſe ſolus adverſus Hermæ librum ſententiam tulit, ſed etiam à Catholicarum Eccleſiarum Concilio latam fuiſſe affirmat, *ab omni concilio Eccleſiarum etiam veſtrarum*, Eccleſiarum videlicet, ut ego interpretor Latinarum & Græcarum, quâ fronte quæſo Catholicos alloquens hæc proferre auſus eſſet Tertullianus, niſi de re certâ, miniméque dubiâ, & ipſis Catholicis cognitâ loquutus eſſet; unica viro docto ſupereſt via quâ elabi poſſe pu-

non aliter ferè Hermæ cauſam orat Societatis Sorbonicæ Theologus Not. in S. Hermæ Paſtorem p. 41. 42.

D

Digitized by Google

tat & ſuo Hermæ patrocinari, nimirum dicendo in Tertulliani verbis nihil aliud fortaſſe contineri, *quàm Paſtorem Hermæ non fuiſſe ex judicio Eccleſiæ librum Canonicum, ſed potiùs inter Apocryphos, id eſt, non Canonicos numeratum*; benè eſt quod *fortaſſe* dixerit, abſque una hœc dubitandi particula foret, ludibrium lectori deberet; ſcriptura Paſtoris ab omni Concilio Eccleſiarum etiam Catholicarum, inter apocrypha & falſa judicata eſt, tamen juxta Vindiciarum Autorem, hæc nihil aliud ſonant, *quàm Paſtorem Hermæ non fuiſſe ex judicio Eccleſiæ librum Canonicum, ſed potiùs inter Apocryphos, id eſt, non Canonicos numeratum.* Nempè ſcripta apocrypha, falſa, ficta, ſpuria, & adulterina, viro docto ſunt ſcripta Eccleſiaſtica, probata, authentica, ſecundi in Eccleſia ordinis, à pijs omnibus ſemel, iterùm, tertiò, imò ſæpiſſimè legenda & relegenda, uno verbo ſcripta tantùm non Canonica, ſed Canonicis proxima; en quò clariſſimum virum abripiat cauſæ ſtudium, cui nimiùm concedere illum vereor; meliùs & ſaniùs de iſto Hermæ libro judicabat Ioannes Maria Braſichellanus Magiſter ſacri Palatij, *dubitandum*, inquit, *nullo pacto eſt libellum hunc Paſtoris, ut modò ſcriptus habetur, ab Herma Pauli diſcipulo non*

Pearſ. p. 43.

Apud labbæum de ſcript. Eccl. in

eſſe conſcriptum, cùm & hæreſibus & fabulis ſit oppletus : eum S. Gelaſius in Romano Concilio inter apocrypha ſcripta abjicit : item & S. Proſper libro contra Caſsianum cap. 30. nullius autoritatis eſſe pronuntiat. Ad illud Gelaſij decretum attendebat Antonius Auguſtinus dum hæc ſcribebat, *ut poſteriores cogitationes Græco Proverbio meliores eſſe dicuntur, ſic etiam poſterior ætas certiora de libro Paſtoris ſtatuit.* Hanc Gelaſij de libro Hermæ cenſuram repræſentat ſæculo decimo Atto Vercellenſis tom. 8. ſpicileg. p. 41. *Liber qui appellatur Paſtoris apocryphus.*

addend. tom. 1. p. 791.

De emēd Decr. dial. 6. p. 64.

VI. Poſterior igitur illa ætas cujus meminit Antonius Auguſtinus, tempus illud ſpectat quo Gelaſius Papa primus cum ſeptuaginta Epiſcopis celeberrimum in Synodo Romanâ decretum edidit de libris Canonicis, Eccleſiaſticis, & Apocryphis; Decretum autem illud librum Hermæ in apocryphorum cenſu reponit, hanc Gelaſij Notitiam laudarat Dallæus, & ex eâ oſtenderat Gelaſium Hermam in eo apocrypharum ſcripturarum ordine cenſuiſſe, quæ opponuntur, non ſimpliciter libris Veteris ac Novi Teſtamenti Canonicis, ſed ijs in genere omnibus libris qui apud Chriſtianos orthodoxos probati habentur, ſive Divini divinitúſque inſpi-

rati, ſive Eccleſiaſtici, quales ſunt veterum ſcriptorum orthodoxorum piæ ac utiles lucubrationes, & ut res meliùs procederet, paterétque omnibus librum Paſtoris à Nicephoro & Gelaſio eodem planè ſenſu inter apocrypha ſcripta numeratum eſſe, Nicephori Indiculum cum Gelaſij Decreto contendit, & poſt acuratam Indiculi & Decreti collationem,
Dall. cap. 4. pag.249. hæc ſubjicit. *Vtriúſque cenſoris, Romani, & Conſtantinopolitani, & quidem utriúſque ſummam in Eccleſiâ dignitatem ſuo ſæculo gerentis, concors eſt, ut vides, planéque ejuſ-*
Pearſ. p.44. *dem generis cenſura*; Eruditus Pearſonius iſta celeberrimi Dallæi verba ridet, *ſuave*, inquit, *omninò ſomnium eſt*; ſomnium ſunt clariſſimo Vindiciarum Autori, quia fortè ejus palato ſapiunt ſpuria, nobis verò qui genuina tantùm ampleƈtimur, fiƈtáque abominamur, nequaquàm ſomnium erunt, ſed conſtans & firma veritas; Verùm aliquid viro doƈto condonandum, illum urget concors illa cenſura, ideóque magno inſurgit impetu in Gelaſianum Decretum, omnémque movet lapidem ut illud Gelaſio abjudicet, vel ſaltem ejus labefaƈtet autoritatem, ſperans forè ut ſi Gelaſij Decreto fidem detrahere poſſet, ſe eadem quoque ratione ſtichometriæ Nicephori prorſus ademptururn eſſe; ſed

vereor ne incaſſùm laboret, atque oleum & operam perdat; primò dicit MSS. Codices multorum ſæculorum in aſſignando Decreti Autore plurimùm variare, quia extat vetuſtiſſimus Codex Collectionis Dionyſianæ in quo Decretum hoc Damaſo Papæ tribuitur; Codex Eccleſiæ Vrgellenſis, & Iurenſis pervetuſtus aſcribunt Hormiſdæ; Alij Gelaſium Autorem agnoſcunt; mira profectò varietas, ſed mirabilius Viri docti Conſilium, qui in rebus nihili cauſæ quærit præſidium, ex infinitis ut ita dicam Gelaſiani Decreti MSS. Codicibus, tres tantùm memorantur, qui in aſſignando Decreti Autore variant, cæteri magno conſenſu Gelaſium Autorem agnoſcunt; cùm igitur tres illi codices qui variant in aſſignando Decreti Autore, numero ſint pauciores, nec alijs antiquitate præſtare dicantur, quin potior majórque debeat eſſe aliorum autoritas, quàm trium dubitabit nemo cui ſanum erit ſinciput; Deinde ſi valet iſta Viri docti ratiocinatio, quid fiet de plærſque Veterum ſcriptorum Eccleſiaſticorum libris? cùm varient ſæpiſſimè codices in aſſignandis iſtorum librorum Autoribus; quid quæſo certi remanebit? ſi ob quorundam Codicum varietatem, vera ac genuina ſcripta veris ac legitimis parenti-

Pearſ. p. 44. 45.

bus abjudicentur; prætereà diffiteri non poteſt Vir eruditus extare antiquiſſimum cujuſdam Pontificis Romani Decretum, quo liber Hermæ ad apocrypha ablegatur, & hoc ſufficit, quamvis de Decreti Autore non conſtaret.

VII. *Pearſ. p. 45.* Inſtat ſecundò doctiſſimus vindiciarum Autor, obſervátque referre quidem Gratianum, Decretum hoc ſcriptum fuiſſe à Gelaſio in Concilio LXX. Epiſcoporum, ſed tamen in vetuſtiſſimis MSS. illa de Concilio deſiderari, quod probat autoritate Codicis MS. qui Cantabrigiæ aſſervatur, & qui hunc titulum præfert, *Decreta Gelaſij Papæ de recipiendis & non recipiendis Libris, quæ ſcripta ſunt ab eo cum LXX. eruditiſſimis Epiſcopis*: conjicit autem hunc titulum fuiſſe antiquiſſimum, tùm quod apud Burchardum ita concipitur, tùm quod maximè, inquit, illis convenit quæ apud Lupum Ferrarienſem Epiſt. 128. legimus. *Quoniam docet Gelaſius cum LXX. Epiſcopis viris eruditiſſimis, qui ſcriptores eſſent vel non eſſent recipiendi.* Vtinam Gratianus graviùs nunquam peccaſſet, & ab hac obſervatione ſe abſtinuiſſet Vir doctus; nam etſi daremus Gratianum de ſuo illa de ſynodo addidiſſe, peccatum erit meâ quidem ſententiâ leviſſimum, quoniam quæ de ſuo ex ſuppo-

ione addidit, nihil aliud ſunt quàm plicatio verborum quæ ex MS. ſuo odice, & ex Epiſtola 128. Lupi Ferriienſis adducit Vir doctus: videbat ratianus Gelaſium non ſolum quidem, ſed una cum LXX. Epiſcopis Decretum de recipiendis & non recipiendis libris edidiſſe, hinc conſequentiâ haud illegitimâ inferebat Decretum illud in quadam ſynodo conditum fuiſſe, & in quadam ſynodo Romanâ, quia Gelaſius Romanæ ſedis erat Epiſcopus: ſecundò nihil nos urget dicere Gratianum aliquid de ſuo hujuſce Decreti titulo inſeruiſſe; vidit ſcilicet Gratianus Codices MSS. quos præſtantiſſimo Pearſonio videre non contigit, & qualem in illis Codicibus titulum reperit, bona fide repræſentavit, pergit Vir doctus & ait, *aliqui autem MSS. Codices addiderunt Concilio huic etiam ſuos conſules, celebratúmque tradiderunt ASTERIO & PRÆSIDIO COSS.* Inde Baronium in Annalibus referre dicit congregatum Romæ Concilium LXX. Epiſcoporum tertio Gelaſiani Pontificatus anno, Domini verò 494. cùm tamen nullum ejus in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ extare monumentum aut veſtigium exiſtimet Pearſonius, Baronium ſecutus eſt in editione Conciliorum Binius, & Philippus *Id. Ibid.*

Digitized by Google

Labbæus in Hiſtoricâ omnium Conciliorum ſynopſi; verba autem Labbæi adfert quæ Concilium iſtud Gelaſianum in hunc annum conferunt, & ſub illis Conſulibus celebratum oſtendunt; ſed contrarium evincere conatur eruditus Pearſonius, pluribus probãs rationibus Gelaſium nullum hoc anno convocaſſe Concilium; eſto, neque litem movere Viro docto in pręſentiarum eſt animus, nullum convocârit hoc anno Concilium Gelaſius, erraverit Baronius, & qui eum ſequuti ſunt Binius & Labbæus, ideóne hoc Concilium rejiciemus tanquam fictum & ſuppoſititium, nimis certè iniquum eſſet aliquod reprobare Concilium ob unius aut alterius anni prochroniſmum ſive metachroniſmum, non ignorat Vir doctus quantùm ſæpiſſimè varient ſcriptores in aſſignandis veris Conciliorum epochis, cùm tamen de ipſorum Conciliorum veritate inter ſe optimè conveniant; nullum, inquit Pearſonius illius Concilij Gelaſiani in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ extat monumentum aut veſtigium, quid tum, nonne plura ſunt ad res Eccleſiæ ſpectantia, quorum tamen nulla prorsùs mentio in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ? Nonne quotidie è tenebris eruuntur antiqua monumenta quæ ipſi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ plurimùm lucis fœnerantur?

Deinde

eindeſi nullum iſtius Concilij Gelaſia-
i in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ extabat mo-
umentum aut veſtigium, unde illius no-
tiam expiſcati ſunt noni ſæculi ſcripto-
es qui fatente Pearſonio Decreti quo de
gimus mentionem fecêre: ergò ante il-
ud tempus extabat aliquod hujuſce Con-
ilij veſtigium; divinare enim non pote-
ant illi ſcriptores habitum fuiſſe ſub Ge-
laſio Romanum Concilium quo libri ſacri
& authentici ab Apocryphis ſunt diſcreti;
reſpondebit forſan hanc Concilij noti-
tiam MSS. Codicum ſubſidio conſequu-
tos eſſe, igitur regeram ego extabant an-
te illud tempus Codices MSS. qui Gelaſio
& Synodo Romanæ iſtud Decretum aſ-
cribebant; ſi autem Codices illi MSS.
adeò venerandæ erant Antiquitatis ut
Gelaſianum ſæculum planè redolerent,
nonne inviɛtiſſimum pro Decreto quod
ventilamus ſuppeditabunt argumentum:
jam verò vetuſtiſſimos eſſe par eſt crede-
re; quia ſi recens ſcripti fuiſſent, aliquam
noni ſæculi ſcriptoribus falſitatis ſuſpi-
cionem ingeſſiſſent, nullam ingeſſiſſe li-
quet, non igitur dubitandum eſt quin
ſcriptoribus illis antiquiſſimi viſi ſint; au-
diendus eſſet Vir doctus ſi veterum auto-
ritate fultus Decretum Gelaſianum im-
pugnare eſſet aggreſſus, ſed id conjecturis

Digitized by Google

præſtare velle, adverſus tot ſcriptorum Eccleſiaſticorum teſtimonia,tótque MSS. Codicum fidem, qui Gelaſio hoc Decretum tribuunt, adeò frivolum eſt & inauditum,ut mirer Virum doctum talibus armis inſtructum in acie ſtare & certamen inire voluiſſe; quid ad hæc reſponſurus ſit vindiciarum Autor non video; fatetur ipſe plures noni ſæculi ſcriptores hujus Decreti ſub Gelaſij nomine mentionem feciſſe; diffiteri etiam non poteſt Codices MSS. quibus uſi ſunt ſæculo nono vetuſtiores eſſe, ergo fateri etiam neceſſe eſt, Decretum iſtud Gelaſio longè ante nonum ſæculum attributum fuiſſe; nec obſtat quod in aliquibus Codicibus nota Conſularis immeritò, ut ait Pearſonius addita ſit; nam 1. de quibuſdam tantùm agitur Codicibus, non de omnibus, 2. quamvis de omnibus ageretur Codicibus, non propterea abjudicandum eſſet Gelaſio Decretum, ut patet ex ijs quæ diximus; 3. fieri poteſt ut Antiquarius quidam conjecturam ſuam de tempore Concilij ad oram libri ſeu Codicis ſcripſerit, quæ poſteà in textum irrepſit, vel Amanuenſium incuriâ velut ad textum pertineret, id eſt ad ipſum Concilij titulum, uno tenore tranſcripta fuit. Ejuſdem propè farinæ ſunt quæ de Euſebio obſervat

ir doctus, nempè Gelaſium Euſebij Hiſtoriam in Apocryphorum cenſu repoſuiſſe, cùm tamen verus Gelaſius ipſum inter Catholicos Patres numeret, illiúſque teſtimonia ad confirmandam Eccleſiæ de duabus naturis Chriſti doctrinam adhibeat; unde colligit Pearſonius, Auctorem Decreti verum Gelaſium eſſe non videri; ſed malè hanc elicit concluſionem Vir doctus: Gelaſij Decretum duobus in locis Euſebij meminit; ideóque ab ipſo Gelaſio conciliatio petenda, primò Euſebij Chronica & Hiſtoriæ libros, inter libros Eccleſiaſticos numerat, quos Eccleſia recipit Catholica, ſed cum cautione quadam, id eſt non tàm recipiendos declarat, quàm uſquequáque non renuendos, *Chronica*, inquit, *Euſebij Cæſarienſis, atque ejuſdem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros, quamvis in primo narrationis ſuæ libro tepuerit, & pòſt in laudibus atque excuſatione Origenis ſchiſmatici unum conſcripſerit librum: propter rerum tamen ſingularum notitiam quæ ad inſtructionem pertinent, uſquequáque non dicimus renuendos.* Hæc Gelaſij verba, ut quivis videt, partim probant, partim verò reprobant Hiſtoriæ Euſebij Eccleſiaſticæ libros, dum igitur poſteà dicit, *Hiſtoria Euſebij Pamphilij Apocrypha*: Nemo non videt hæc ultima

Pearſ. pag. 48.

verba non ſimpliciter & abſolutè accipienda, ſed juxta mentem præcedentium explicanda; præcedentia autem verba non omnia planè in Hiſtoriæ libris reprobant, ſed quædam tantùm quorum reſpectu Euſebij Hiſtoria Eccleſiaſtica Gelaſio apocrypha indefinitè dicitur: nullo profectò incommodo laborat hæc conciliatio, ab ipſo Gelaſio petita, non verò gratis ficta; Et inde liquet Gelaſium Euſebij Autoritatem, quicquid dicat, Pearſonius, ad confirmandam Eccleſiæ doctrinam adhibere potuiſſe, cum omnia illius Viri in ſuo Decreto non reprobaverit; fruſtra igitur hæc Gelaſij verba, *Hiſtoria Euſebij Pamphili apocrypha*, huic decreto adjecta fuiſſe opinatus eſt vir quidam eruditus, nec meliùs alter qui de alio Euſebio quàm de illo Cæſarienſi ea intelligenda eſſe credidit apud Baluz. in notis ad Grat. pag. 445. 446. nec denique ad tollendam eam repugnantiam, non quæ eſſet, ſed quæ eſſe videretur, ad neſcio quam apocryphorum diſtinctionem neceſſe eſt confugere; cùm ſatis commodè alia ratione fuerit ſublata.

VIII. *Pearſ. p. 48. 49.* Sed Decretum Gelaſianum majori impetu adoritur Vir doctus, ex cenſurâ videlicet Canonum Apoſtolicorum contra illud argumentando: in hoc enim De-

to iſtam Canonum illorum cenſuram imus, *Liber qui appellatur Canones Apoorum Apocryphus*; ſibi autem perſuadenon poteſt Pearſonius hanc cenſuram :laſio tribuendam eſſe, imò potiùs ei judicandam putat, pluribus ad hoc imılſus rationibus, præſertim Dionyſij exiıi autoritate, qui hos Canones Apoſtorum interpretatus eſt, & reliquis præfiıt Canonibus, minimè facturus ſi Gelaj quem tantopere admiratus eſt, conſtiuto transfixos atque jugulatos cognoıſſet, & ut nodum fortiùs ſtringat addit Vir eruditus, Dionyſium poſt tam gravem cenſuram nunquam in Præfatione Operis ſui, his verbis uſum fuiſſe. *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco tranſtulimus: quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum veſtram noluimus ignorare ſanctitatem: quamvis poſteà quædam conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus adſumpta eſſe videantur.* Ex his Dionyſij verbis infert Vir doctus Gelaſium Canones Apoſtolorum in Apocryphorum claſſe haudquaquam cenſuiſſe; quia ſi cenſuiſſet, Dionyſius non tantummodò dixiſſet *plurimos conſenſum non præbuiſſe facilem*, nec de hac dubitatione Stephanum Salonitanum Epiſcopum monendum duxiſſet, *nè* ſcilicet *hoc ipſum*

ignoraret, qui quid à Gelaſio in Concilio decretum fuit ignorare non potuit, nec denique *poſteà conſtituta Pontificum ex illis Canonibus adſumpta fuiſſe* notaſſet ſed plura reponi poſſunt, primò nova eſt & ferè inaudita Viri docti methodus, agitur de Codicum MSS. & editorum fide quæ rationibus convelli non poteſt, & tamen id facere conatur vindiciarum Autor, opponat Codices Codicibus, contendantur alij cum alijs, & præferantur qui cæteris Antiquitate præſtabunt; ſed quandiu conjecturis quibus nimiùm indulget Vir eruditus, res facti firmiſſimè ſtabilitas ſollicitare aut evertere tentabit, hærebit illi aqua, nec propoſitum unquam conſequetur finem: Secundò quamvis aliquo laboraret incommodo Gelaſianum Decretum, non propterea ſtatim reprobandum foret, plura ſunt Eccleſiaſtica ſcripta, quæ etſi varijs graventur incommodis, varijſque urgeantur difficultatibus, nihilominùs tamen ijs quorum nomina præferunt Autoribus vindicantur: Tertiò argumentatur Vir doctus ex eo quod ait Dionyſius exiguus *conſtituta Pontificum ex Canonibus Apoſtolicis adſumpta eſſe*: Verùm non ita ſe habent Dionyſij verba, nihil planè affirmat, quid ipſe ſentiat tantùm aperit, & quid ſibi videatur declarat, non autem

id reapſe ſit; *quamvis poſteà*, inquit, *ædam conſtituta Pontificum ex ipſis Canoibus adſumpta eſſe videantur*; nec per Ponices neceſſe eſt intelligere Pontifices omanos, ſed in genere Epiſcopos, quom è numero aliqui temporis lapſu Canonum Apoſtolorum autoritate uti poerunt, cùm anteà plurimi, ut Dionyſij erba uſurpem, conſenſum non præbuent facilem; aliter quidem Dionyſij vera explicat eruditus Pearſonius, & de ontificibus Romanis intelligenda putat, ed ni fallor contra Autoris mentem, ut x integrâ liquet Epiſtolâ, ex iſtis præſerim verbis, *ſacratiſſima jura Pontificalibus er Dei gratiam digeſta conventibus*: Pontificales enim illi conventus, nihil aliud unt Dionyſio quàm Epiſcoporum Concilia: cur igitur per Pontificum conſtituta non intelligemus eorundem Epiſcoporum ſanctiones atque decreta? nec eſt quòd Pearſonius iſta clariſſimi Dallæi damnet, *Ego verò putaverim non ex Canonum collectione ſua decreta Pontifices, ſed ex Pontificum conſtitutis ſuos Canones aſſumpſiſſe primum eorum collectorem.* Dallæus ait Vindiciarum Autor, ſeipſum Dionyſio directè & ex diametro opponit, nequaquàm, Dionyſius non affirmat, non negat Dallæus, nulla eſt igitur ex diametro op-

Dall. de Pſeudep. Apoſt. lib.3. c.3.

Digitized by Google

poſitio, utérque ſuum modò interponit judicium, exiſtimabat Dionyſius quædam Pontificum conſtituta ex Canonibus Apoſtolorum fuiſſe aſſumpta, alia mens Dallæo, nempè conjecturis agunt ambo, & quid de iſtis ſentiant proferre contenti, nihil præcisè affirmare, nihil exertè negare, in animo habuerunt. Quidquid ſit probat Vir doctus Canones Apoſtolorum poſt Dionyſij tranſlationem ſtatim receptos fuiſſe, probat autem hiſce Caſſiodori verbis Divin. lect. cap 23. *Petitus à Stephano Epiſcopo Salonitano ex Græcis exemplaribus Canones Eccleſiaſticos moribus ſuis, ut erat planus & diſertus, magnâ eloquentiæ luce compoſuit, quos hodie uſu celeberrimo Eccleſia Romana complectitur*: Non nego Eccleſiam Romanam Dionyſij collectione uſam eſſe, eámque ſtatim Priſcæ tranſlationi prætuliſſe, ſed ita tamen ut Canones Apoſtolicos ab hoc uſu ſegregaſſe valdè ſit probabile, ignorare quippè non poterat Gelaſij Decreto ad apocrypha relegatos eſſe, & hoc innuere videtur ipſe Caſſiodorus dùm Canones memorat Eccleſiaſticos, nullâ Canonum Apoſtolorum mentione factâ; Quamvis enim quinquaginta ex illis Canonibus Dionyſianæ collectioni præfixi ſint, tamen quia ab omnibus non recipiebantur, Le-

Lectorem moniturus erat Caſſiodorus, Eccleſiam Romanam iſtos etiam cum cæteris in eadem collectione comprehenſis, ſu, ut ait, *celeberrimo complecti.* Verùm ut Caſſiodori verba ad Canones Apoſtolicos extendat Vir doctus, confugit ad quandam Ioannis 2. Pontificis Romani Epiſtolam, cui ſubjecti ſunt Canones Apoſtolici XXV. & XXIX. Hanc Epiſtolam edidit Sirmondus doctiſſimus & diligentiſſimus ſcriptor, eámque contulit in annum 533. Et poſt Epiſtolam extant quidam Canones tanquam à Ioanne 2. tranſmiſſi, inter quos duo numerantur Apoſtolici; ſed ut liberè dicam quod ſentio, non mihi uſquequáque probatur hæc Epiſtola, imò plura ſunt quæ ſuppoſititiam ſuadent. 1. non eſt credibile Pontificem Romanum hæc boni ſenſus prorsùs vacua effutijſſe, *ſi qui tamen Pontificatus immemores criminibus ſe fortaſſis involverint, & eorum perſonas vulgus cognoſcat: facilius enim à delictis cavent, ſi non videant etiam hominibus ſecreta eſſe quæ fecerint,* quid ſibi velint iſta, divinare non eſt facile, 2. ſequentia cum iſtis non cohærent. *Quæ verò de his Canones præcipiunt ſubter adjecimus.* 3. Titulus Canonibus præfixus ſuſpicionem auget. *Hi tituli Canonum, quos nobis ſupraſcriptus ſanctus & domnus*

Tom. 1. Concil. Gall. Sirmond. pag. 232. 233.

meus Ioannes Papa ſedis Apoſtolicæ cum præfata auctoritate direxit, certè veriſimile non ſit Cæſarium Arelatenſem ſcientiâ & dignitate conſpicuum, tàm ſerviliter támque barbarè ac inſulsè loquutum eſſe. 4. Deeſt nota Conſularis quàm ſuis Epiſtolis Pontifices Romani tunc temporis apponere ſolebant, ut ex alijs ipſius Ioannis 2. Epiſtolis liquet. 5. quid ſignificet vox *ſacrius* ignoro, non me latet *ſacrium* in genere neutro ſuccini & electri genus eſſe, ſed *ſacrius* in genere maſculino quàm ſignificationem habeat neſcio, præſertim cum de homine dicitur, illam enim vocem uſurpat Ioannes 2. de contumelioſo Regenſi Epiſcopo verba faciens; ita enim Cæſarium alloquitur; *Caritatis tuæ literas animo libenti ſuſcepimus, in quibus corporeas neceßitates allegans, etiam quæ ſacrius ille, qui lapſus eſt, fecerit indicaſti*: Contumelioſus ſcilicet ob admiſſi criminis notam ab Epiſcopatu dejectus eſt, ideóque lapſum eſſe dicit Pontifex. 6. Denique Pontifices Romani nihil antiquius habuêre, quàm ut appellationum jura ſuæ ſedi aſſererent; tamen ſi genuina eſſet quam examinamus Epiſtola, Ioannes 2. contrarium planè faceret: nam inter Canones quos Epiſtolæ ſuæ ſubtexuiſſe dicitur, numeratur Concilij Antiocheni Ca-

on XV. qui appellationes perimit om-
inò atque jugulat. *Si quis Epiſcopus de*
ertis criminibus accuſatus condemnatur ab
mnibus Epiſcopis ejuſdem Provinciæ, cuncti-
que conſonanter eandem contra eum formam
lecreti protulerint; hunc apud alios nullo mo-
lo judicari, ſed firmam concordantium Epiſ-
coporum Provinciæ manere ſententiam. Itá-
ne ſuæ ſedi iniquus erat Ioannes Papa 2.
illiúſque juribus infenſus, ut quam tueri
debebat cauſam prodat: Contumelioſus
à Provinciæ ſuæ Epiſcopis condemnatus
fuit, ad ſedem appellavit Romanam, vel
ut de illo loquitur Agapetus Ioannis ſuc-
ceſſor, *ad appellationis voluit auxilium con-* *Tom. 1.*
volare: Quis igitur ſibi perſuadere poterit *Conc.*
Ioannem ea ad Cæſarium Arelatenſem *Gall.*
contumelioſi Metropolitanum ſcribere *p. 238.*
voluiſſe, quibus transfiguntur illa omnia
appellationum jura pro quibus tanquam
pro aris & focis dimicarunt Epiſcopi Ro-
mani; Omnibus iſtis ductus rationibus
hanc Epiſtolam Ioanni 2. abjudico, &
abjudicabit mecum quiſquis paulò atten-
tiùs quæ ſcripſimus conſiderare ac per-
pendere dignabitur; Nec propterea hæc
ſcripſi quaſi nulla alia ad objectionem
Viri docti nobis ſuppeteret ſolutio:
quamvis enim concederemus Vindicia-
rum Autori, Epiſtolam quâ de agimus

genuinum eſſe Ioannis Papæ 2. fœtum; minimè ſequeretur Canones Apoſtolorum à Gelaſio inter apocrypha non fuiſſe rejectos, nam ſi multa in ipſis hæreticorum libris leguntur, quæ cùm ad fidem pertineant, non refutanda ſunt, ſed ſuſcipienda; quidni libris apocryphis plura in eſſe poterint bona à nobis pariter ſuſcipienda & cum fructu legenda, iſtiùs autem apocryphorum generis ſunt Canones Apoſtolorum, *in quibus*, ut ait Hincmarus, *quædam receptibilia, quædam verò ſunt non ſervanda*: non mirum igitur ſi Ioannes 2. ſalvo Gelaſiani Decreti jure, Canones iſtos adferre non dubitaverit, *quoniam*, ut ait iterùm Hincmarus, *in quibuſdam ad inſtructionem valent.* Negari equidem non poteſt quoſdam Canones ſeu titulos, ut vocant, antiquorum Patrum à Ioanne Papa 2. ad Cæſarium Arelatenſem tranſmiſſos eſſe, ſaltem id nos expreſſè docet Tractatus Anonymus, quem Cæſarij ipſius eſſe conjicit Sirmondus, & qui poſt Ioannis Epiſtolam, eíque annexos Canones editus eſt; ſed an ipſiſſimi ſint quos habemus Canones, eadémque Ioannis Epiſtola, haud liquidò conſtat, imò multus ſupereſt dubitandi locus, ob rationes à nobis ſuprà commemoratas, quibus adjicias velim hanc Sirmon-

Hincm. tom. 2. pag. 473.

Tom. 1. Conc. Gall. p. 234.

li annotatiunculam, nempè quæ edidit
ad contumelioſi cauſam pertinentia, *non
omnia ex uno, ſed ex diverſis Codicibus de-
prompta eſſe:* Hinc facilior fraudi ac ſup-
poſitioni naſcitur occaſio, proniorque in
errorem lapſus. Inſuper conjecturas
meas de Ioannis Epiſtolâ, ſubjectiſque
Canonibus à quopiam non ita accipi ve-
lim, velut ijs ſeu firmiſſimis inniterer de-
monſtrationibus, conjecturæ ſunt, ſed
conjecturæ quæ veriſimilitudine non ca-
rent, & quæ ideò ad ſcriptorum iſtorum
fidem convellendam aptiſſimæ ſunt.

Sirm. in notis p. 606.

IX. Vnum adhuc ſupereſt Viro docto ad-
verſus Gelaſij Decretum ex Dionyſio exi-
guo petitum argumentum; ſcribit ſiqui-
dem Dionyſium Apoſtolorum Canones
tam leni cenſurâ minimè perſtricturum
eſſe, nec tantummodo *plurimos conſenſum
non præbuiſſe facilem*, id eſt, aliquo modo
de eorum autoritate dubitâſſe dicturum,
ſi ante paucos annos Pontificem Roma-
num in Concilio eos numerâſſe inter illa
ſcripta, quæ *Catholicis vitanda ſunt, & quæ
nullatenus recipit Catholica & Apoſtolica Ro-
mana Eccleſia* noviſſet. Sed fallitur erudi-
tus Pearſonius nec modum agendi Dio-
nyſij animadvertit, non potuit ignorare
Dionyſius qui Gelaſij ævo erat proximus,
ac penè ejus par, Canones Apoſtolicos à

Pearſ. pag. 48.

Pontifice illo damnatos eſſe, & inter ſcripta apocrypha recenſitos; ſed quia propenſiſſimo erga eos erat animo, ut potè homo ortu ac natu, cultúque ac eruditione exterus, à ſe obſtinere non potuit, quin Græcos ſuæ gentis Canones in Latinam linguam à ſe tranſlatos, Romanis, apud quos vivebat, communicaret, ac ne eorum animos rei novitate offenderet, invidiam, quâ eos flagrare noverat, lenire imprimis modeſtâ præfatione ſtuduit, non diſſimulans quidem *rejectos à plurimis*, ſed tamen eos tacitè purgans, aut certè excuſans, dùm ait *quædam conſtituta Pontificum ex ipſis aſſumpta eſſe videri*; Hinc patet Vindiciarum Autorem laboraſſe incaſſum cum Gelaſij Decretum Dionyſij exigui autoritate evertere eſt aggreſſus, certè niſi Dionyſius ex præiudicatâ quadam opinione egiſſet, nimióque erga Canones iſtos ſtudio, non dubitandum eſt quin eos ex Gelaſij diſciplina in ſua collectione prætermiſiſſet, perinde ac Ferrandus Diaconus, qui nullum ijs dedit locum in ſuo Eccleſiaſticorum Canonum Breviario, quod iiſdem propemodùm temporibus confecit. Sed ſi Ferrandus Canones Apoſtolorum ſilentio ſuo notat paulò poſt ſexti ſæculi initia; Iſidorus Hiſpalenſis Archiepiſcopus anno ſeptimi ſæculi ſexto

: triceſimo denatus, eoſdem Canones iſertè damnavit, & triſtiùs atque atro-iùs quàm alij de his decrevit. Ejus autem a de re verba, & à Gratiano in Decre-um relata, & teſte Antonio Auguſtino ongè doctiſſimo Viro, *in omnibus veteri-us libris Hiſpaniæ Conciliorum inventa*, ita abent, *Canones qui dicuntur Apoſtolorum, ed quia eoſdem nec ſedes Apoſtolica recepit, ec ſancti Patres illis aſſenſum præbuerunt, ro eo quòd ab hæreticis ſub nomine Apoſtolo-um compoſiti dignoſcuntur; quamvis in eis tilia inveniantur, tamen ab auctoritate Ca-onum, atque Apoſtolica, eorum geſta con-ſtat eſſe remota, atque inter apocrypha depu-tata.* Hactenùs Hiſpalenſis Iſidorus; planè contra ſentiens, quàm ille alter Iſidorus vulgò Mercator dictus, noni ſæculi tene-brio, planus & impoſtor, cujus verba Gratianus quoque recitat; Gratianus ve-rò ut obſervat Antonius Auguſtinus, *non diſtinxit varietatem horum ſcriptorum, ut debuit, cùm contraria dicerent. Hic enim Mercator hos Canones probat, quos ille* (Hiſ-palenſis ſcilicet Iſidorus) *rejecerat.* Nec Iſidorum deterruit audax Dionyſij Exigui facinus hos Canones ſuæ Collectioni in-ſerentis, quin potiùs illum tacitè notat, cùm aſſerit *ſanctos Patres illis aſſenſum non præbuiſſe*: Dionyſius enim non de ſanctis

Grat. dist. 16. c. 1.
Anton. Auguſt. de emēd. Grat. l. 1. dial. 6.

Grat. diſt. 16. c. 4.
Anton. Aug. de emend. Grat. l. 1. dial. 6.

Digitized by Google

Patribus, ſed de plurimis, non de aſſenſu ſimpliciter, ſed de aſſenſu facili loquitur, *quibus plurimi*, inquit, *conſenſum non præbuêre facilem*; Deinde Iſidorus hos Canones *ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſitos, à ſede Apoſtolicâ non receptos, nec à Patribus probatos, ſed inter apocrypha deputatos, & ab autoritate Canonicâ, atque Apoſtolicâ remotos fuiſſe*, liquidò & rotundè pronuntiat: Dionyſius de his omnibus ne γρῦ quidem, nempè Dionyſij intererat iſta ſilentio præterire, ne Latinorum animos quibus Græcanicos ſuos Canones ſensìm commendatos volebat, ab iis averteret. Præterea dùm hæc ſcribebat Iſidorus ejus animo obverſabatur Gelaſij decretum quo Canones Apoſtolici jugulati ſunt atque transfixi; Dionyſius qui celeberrimi illius Decreti memoriam ſepultam & extinctam cupiebat, illud ab hominum mentibus procul arcere ſtudebat, nullâ prorſus ejus mentione factâ. Denique Iſidorus rem ut eſt candidè narrat, ſincerè agit, unique veritati litat; Dionyſius verò omnia ſuo propoſito accommodat, Canones purgat, excuſat, invidiam quâ eos gravari intelligebat lenit, illis patrocinatur, nihilque non agit ut lectorem experiantur favorabilem. Iam utriùs potior ſit ac major autoritas, ſi rogas,

gas, hoc habeto reſponſum: potiorem ac majorem eſſe Iſidori autoritatem quàm Dionyſij, Iſidorus quippè Archiepiſcopus fuit, ſcientiâ, eruditione ac merito clariſſimus; Dionyſius verò erat profeſſione Monachus & poſteà Romani Monaſterij Abbas, eximijs quidem ornatus fuit dotibus, Iſidoro tamen merito ac dignitate longè inferior; ex his omnibus liquet viguiſſe adhuc ſeptimo ſæculo inchoato & ferè medio Gelaſiani Decreti famam atque robur, liquet præthereà Dionyſium Exiguum Decretum illud diſſimulaſſe, quia propoſito ſuo adverſabatur; fruſtrà igitur ex leni Dionyſij quâ Canones Apoſtolicos notatos volunt cenſurâ, argumentatur contra Gelaſij Decretum clariſſimus vindiciarum Autor.

X. Verùm enimverò animum non deſpondet Vir doctus, qui moleſtè ferens ignominiæ notam Gelaſij conſtituto Apoſtolorum Canonibus ceu ferro candēte inuſtam eſſe, aliâ viâ probare nititur eos ab illo Pontifice minimè notatos eſſe, *non pauca ſunt*, inquit, *quæ me movent, ut credam ipſum Gelaſium Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, & admiſiſſe, & in ſuis Epiſtolis Decretalibus uſum ipſis fuiſſe.* Mira profectò Gelaſij lenitas & inconſtantia, ſi, ut ait *Pearſonius* hos Canones probat in- *Pearſ. pag. 50.*

Epiſtolis, quos alibi damnaſſe demonſtravimus; ſed ne tanta Pontifici fiat injuria, examinemus quæ dicit eruditus Ignatianorum Vindex, primò triceſimum citat Apoſtolorum Canonem, qui aliis eſt vigeſimus-nonus, *ſi quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem; deiiciatur & ipſe, & Ordinator eius, & à communione modis omnibus abſcindatur, ſicut Simon Magus à Petro:* hoc Canone uſum eſſe Gelaſium in ſuâ Epiſtolâ Decretali ad Epiſcopos Lucaniæ, exiſtimat Vir doctus iſtis Epiſtolæ verbis fretus. *Quos verò conſtiterit indignos meritis, ſacram mercatos eſſe pretio dignitatem, convictos oportet arceri, non ſine periculo facinus tale perpetrantes* (vel ut legit Pearſonius ex Codice MS. *perpetrantis*) *quia dantem pariter & accipientem damnatio Simonis, quam ſacra lectio teſtatur, involvit.* Reſpondet Dallæus, inquit, de Pſeud. Apoſt. lib. 3. c. 4. *Gelaſii locus nullum omnino Canonem laudat, neque Apoſtolicum, neque Eccleſiaſticum. Tantùm SIMONIS DAMNATIONEM memorat, quam SACRA LECTIO, Actuum ſcilicet Apoſtolicorum, ut notum eſt, teſtatur.* Verùm eſt hæc ſcripſiſſe præſtantiſſimum Dallæum, & appoſitè certè, cùm nullum planè Canonem laudet Gelaſius, nec hoc diffitetur Pearſonius, ait modò, hoc Ge-

laſij conſtitutum ex illo Canone adſumptum eſſe, nec ullâ aliâ ratione probat ſuam hanc aſſertionem, quàm iſtâ, agi ſcilicet in hoc Gelaſij conſtituto, perinde ac in Canone Apoſtolico, de ſimoniacè promoto ac promovente, *arceatur dans pariter accipiénſque.* Sed nullâ inde neceſſariâ conſequentiâ deduci poteſt Gelaſij ſanctionem ex Canone Apoſtolico adſumptam eſſe, ſi nullum hac de re indubitatum extaret Gelaſio vetuſtius Decretum, aliquam forte veri ſpeciem haberet Viri docti ratiocinatio: ſed cùm plura reperiantur ejuſmodi Decreta in veris ac genuinis Antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentis, quin ad ea reſpexerit Gelaſius nullus dubito; primò habemus S. Baſilij Epiſtolam ad Epiſcopos ſibi ſubjectos, quæ in noviſſimâ Canonicarum SS. Patrum Epiſtolarum editione, ut illius Canon XCI. repræſentatur, in hac autem Epiſtolâ agit cōtra ſimoniacos, vetátque ne in poſterum propter pecunias fiant ordinationes, hiſtoriam tangit Simonis Magi, qui pecuniâ ſpiritus ſancti gratiam emere volebat, & depoſitioni ſubjicit juxta Balſamonis explicationem tam eos qui ordinant, quàm qui ordinantur, ſive ante ordinationem pecunias acceperint vel dederint; ſive poſt ordina-

Digitized by Google

tionem ; obijt verò Baſilius centum plus minus annos antequàm Gelaſius ad Pontificatum promoveretur. Secundò Canon 2. Concilij Calchedonenſis contra ſimoniacas promotiones 40. ante Gelaſium annos conditus eſt hoc pacto. *Si quis Epiſcopus propter pecunias ordinationem fecerit, & gratiam quæ vendi non poteſt ſub pretio redegerit, & propter pecunias ordinaverit Epiſcopum, vel Cherepiſcopum, vel Preſbyteros, vel Diaconos &c. qui hoc tentaſſe convictus fuerit, ſui gradus periculum ſubeat, & qui eſt ordinatus, nihil ex ordinatione vel promotione per quæſtum vel mercaturam facta juvetur; ſed ſit alienus à dignitate & ſollicitudine, quam pecuniis adeptus eſt. Si quis autem mediator tam turpibus & nefariis lucris apparuerit, hic quoque ſi ſit quidem clericus proprio gradu excidat. Sin autem laicus vel monachus, anathematizetur.* Nemo igitur non videt Gelaſium ad hæc Decreta vel ſaltem ad utrumlibet eorum reſpexiſſe, potiùs quàm ad fictum Apoſtolorum Canonem; certè Guillelmus Beveregius Vir Doctiſſimus & Ioannis Pearſonij Popularis, hunc ipſum Canonem notis ſuis illuſtravit, pluráque Veterum loca ad eandem rem pertinentia indicavit, de Gelaſio verò penitus tacuit, nec cum Vindiciarum Autore auſus eſt affirmare illius quò de agimus Decretum ex

iſto Canone aſſumptum eſſe: Exiſtimat quidem Beveregius hæc Dioniſij Exigui verba, *quædam conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus adſumpta eſſe*, ad Romanos Pontifices, inter quos Gelaſium numerat, referri debere, ſed hunc nodum ſuperiùs ſolvimus, ideóque ſuperfluum eſſet repetere ea quæ ibi diximus. Aliud Gelaſij conſtitutum ex eadem ad Epiſcopos Lucaniæ Epiſtolâ memorat eruditus Pearſonius, contra eos qui ſe ipſos abſcindunt, verùm non diffitetur Gelaſium per *paternos Canones*, de quibus mentionem facit, Nicænos intelligere, *ſed ita tamen*, inquit, *ut iidem Nicœni Canones agnoſcant eadem in Prioribus Canonibus* (ſcilicet Apoſtolicis) *præcepta fuiſſe*; num res ita ſe habeat ut ait Vir doctus alibi examinaturi ſumus, dùm ſcilicet Beveregij in Canones Apoſtolorum annotationes expendemus, quare dilatâ eò uſque reſponſione noſtrâ, ad alia Vindiciarum autoris argumenta properamus.

Bevereg. Praf. in Can. Apoſt. num. 25. pag. 7.

Novum quærit ſubſidium, in ſuo MS. Codice ante ſexcẽtos ferè annos exarato, in quo non comparent Gelaſiani Decreti verba quæ Canones Apoſtolicos in Apocryphorum cenſu reponunt; quid contineat Codex ille MS. cujúſve ſit ætatis penitùs ignoro, fidem tamen Viri docti quam puto optimam in dubium vocare nolo,

XI. *Pearſ. pag. 52.*

Digitized by Google

forte eum fefellit conjectura ſua in deſignandâ ſui Codicis ætate: Vt ut ſit nihil ad rem facit Cenſuræ Canonum omiſſio: rari ſunt MSS. Codices in quibus non reperias omiſſiones ejuſmodi quæ à Librariorum negligentiâ ac ſupinitate proficiſcuntur; ſed iſtis Hincmari verbis ſe tuetur Vir doctus. *Sed & Beatus Gelaſius in Catalogo qui libri ab Eccleſiâ Catholicâ recipiantur, de his Apoſtolorum Canonibus penitùs tacuit, ſed nec inter Apocrypha eos miſit.* Hæc ex Hincmaro Opuſc. c. 24. unde colligit iſta verba, *Liber qui appellatur Canones Apoſtolorum apochryphus*, non exhibere in Decreto Gelaſij Hincmari Codicem ducentis annis ſuo vetuſtiorem, dixerat Ballæus ultima illa verba, *ſed nec inter apocrypha eos miſit*, vel memoriæ lapſu imprudenti excidiſſe vel certè mendoſa eſſe, & reſtituto verbo *omiſit* pro eo, quod in codicibus vulgatis legit *miſit*, corrigenda, ut ita ſcripſerit Hincmarus, *ſed nec inter apocrypha eos miſit*; hâc clariſſimi Dallæi criticem non probat doctiſſimus Vindiciarum Autor, liquet tamen ex omnibus quæ hactenus diximus, Gelaſium Canones Apoſtolorum *inter apocrypha* relegaſſe ac rejeciſſe, cum igitur Hincmarus de Canonibus iſtis juxta mentem Gelaſij loquutus ſit, ut patet ex ijs quæ nuper ex illo adduximus,

ò ex toto capite unde illa deprompſi-
ıs, in mendo cubare verba controverſa
ritò conjecit Dallæus: verùm mendo-
eſſe illa verba, vel ſaltem aliquam in
s eſſe tranſpoſitionem aliâ viâ demon-
ıre aggrediar, ut res meliùs procedat
edam imprimis conſideranda veniunt.
Canones iſtos ab Apoſtolis conditos
gat, ab Authenticis Eccleſiæ regulis
excludit, non per omnia recipiendos
cet, & in Canonum libris ſeorſim ante
ncilia ad inſtructionem, & propter vul-
am eorum famam poni affirmat; 2.
bat hos Canones ab Apoſtolis minimè
ditos eſſe, ex eo quod præter quinque,
s enumerat Synodos, nullam aliam
oſtoli habuiſſe legantur, in qua iſtos
nones condiderint: 3. ab authenticis
robatis Eccleſiæ regulis excludi oſten-
Gelaſiani Decreti autoritate, in quo
memorantur regulæ omnes probatæ
uthenticæ, nullâ prorſus Canonum
oſtolicorum mentione factâ; tamen
ı conſtabat hos Canones Gelaſij con-
ito fuiſſe notatos, hoc quoque obſer-
: non neglexit Hincmarus in verbis
mox citavimus, *de his Apoſtolorum
nibus penitùs tacuit, ſed nec inter apo-
ha eos miſit.* Vnius voculæ *nec* tranſ-
io verborum iſtorum ſenſum turba-

vit, quem facilimè reſtitues, ſi voculam illam ſuo reponas loco, & totam Hincmari obſervationem uno tenore legas hoc pacto: *ſed & beatus Gelaſius in Catalogo qui libri ab Eccleſiâ Catholicâ recipiantur deſcripto, authenticis ſcripturis, & Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, ac Epheſinæ, Chalcedonenſis quoque Synodi, & aliis Conciliis à ſanctis Patribus inſtitutis, & Orthodoxorum opuſculis, atque Decretalibus Epiſtolis Apoſtolicæ ſedis Pontificum, aliiſque ſcripturis diſcretè commemoratis, NEC DE HIS APOSTOLORVM CANONIBVS PENITVS TACVIT, SED INTER APOCRYPHA EOS MISIT.* Id eſt rejecit & relegavit, & quoniam Hincmarus dixerat quædam in illis eſſe receptabilia, & quædam non ſervanda, & ſeorſim ante Concilia ad inſtructionem poni ſolitos, hanc Gelaſii cautelam, dum leguntur, adhiberi præcipit, *omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Iam, ut quivis videt, verborum Hincmari ſenſus planus eſt, facilis, ac expeditus, omnia ſponte fluunt, illiúſque menti & ſcopo omninò congruunt; nihil additum eſt, nihil detractum, ſola particula *nec* ſedem mutavit, mutandóque Hincmari ſermonem intellectu facilem reddidit; ſpes igitur eſt Virum doctum tandem aliquando manus daturum, & Gelaſii Decretum quo Canones

Hincm. ubi ſuprà

nes

nes Apoſtolici damnati ſunt, ab Hincmaro agnitum atque probatum fuiſſe, deinceps ingenuè eſſe profeſſurum; præſertim ſi animo perpendere velit Attonem Vercellenſem Epiſcopum, qui centum circiter annos poſt Hincmarum florebat, hanc eandem Canonum Apoſtolorum cenſuram repræſentare in calce Capitularis ſui, ubi Gelaſianum exhibet Decretum, ſolis Veteris & Novi Teſtamenti libris exceptis; exhibet quidem ſuppreſſo Gelaſij nomine, ſed ita tamen ut ad illum reſpexiſſe hiſce verbis ſufficienter innuat, *poſt illas Veteris & Novi Teſtamenti, quas regulariter ſuſcipimus, etiam has ſuſcipi non prohibet ſcripturas*; enumeratis autem ſcripturis Eccleſiaſticis probatis & authenticis, ad cætera tranſit, quæ ab Hæreticis ſive Schiſmaticis conſcripta vel prædicata ſunt, & quæ nullatenus recipit Catholica & Apoſtolica Eccleſia, & inter ſcripta illa reprobata & apocrypha Canones numerat Apoſtolicos. *Liber qui appellatur Canones Apoſtolorum, apocryphus.* *Atto Vercell. Tom. 8. Spicileg. pag. 43.*

XII. Cætera Viri docti argumenta non morabuntur nos diutiùs; 1. hæc Decreti verba adfert, *ſed & ſi qua ſunt Concilia à SS. Patribus hactenus inſtituta, poſt horum auctoritatem & cuſtodienda & recipienda & decernimus & mandamus*; non de Conci- *Pearſ. pag. 53. 54. 55.*

Iijs Generalibus de quibus ante locutus eſt, hoc dixit Gelaſius, ut putat eruditus Pearſonius ſed de Concilijs particularibus Orthodoxis & probatis, quibus propterea ſecundam poſt Concilia Generalia tribuit autoritatem; Hincmarus hæc Concilia particularia à Generalibus ita diſtinxit, *& alijs Concilijs à SS. Patribus inſtitutis.* 2. argumentatur ex eo quod in Gelaſij Decreto fit mentio *ſcripturæ de inventione Dominicæ Crucis*, *& ſcripturæ de inventione capitis B. Ioannes Baptiſtæ*, quia tales ſcripturas, ſive libros, Gelaſij ævo, inquit, extitiſſe non apparet; ſed cùm Vir doctus conjecturam ſuam nullis confirmet rationibus, nullius planè ponderis eſt illius argumentum adverſus Decreti Autorem, qui de libris iſtis tanquam *de novellis relationibus* expreſſè loquitur. 3. ejuſdem ſunt commatis iſta alia ejuſdem Decreti verba, in quibus agitur de Ruffino quem Hieronymus, ut ait, in aliquibus de arbitrij libertate notavit, *illa ſentimus quæ Beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus, & non ſolùm de Ruffino, ſed etiam de univerſis, quos vir ſæpiùs memoratus, zelo* Dei *& fidei religione reprehendit.* Hæc verba quicquid dicat Pearſonius, & Concilio & Pontifici Romano ſatis conveniunt agitur enim tantùm de ijs omnibus qui à

ſede Romanâ æquè ac ab Hieronymo reprobabantur, verbi gratia de Luciferianis, de Vigilantio, de Ioviniano, de Ioanne Hieroſolymitano, & cæteris Origenis fautoribus, quibus accenſeri poſſunt Pelagiani. 4. novum Viro docto argumentum ſubminiſtrat Gelaſij Decretum, dum docet Marcum Evangeliſtam *glorioſum conſummaſſe Martyrium*; *at hoc*, inquit, *neque Euſebius, neque Hieronymus ante Gelaſium tradidit, neque poſt eum Iſidorus Hiſpalenſis, ut vita S. Marci, in quâ eius martyrium deſcribitur, poſt Iſidori, ante Bedæ, & Autoris Decreti tempora ſcripta eſſe videatur.* Doleo hæc Viro docto imprudenter excidiſſe; nam etſi Euſebius & Hieronymus ante Gelaſium de S. Marci Martyrio nihil planè tradiderint, neque poſt eum Iſidorus Hiſpalenſis, non propterea ſequitur ante illa tempora ignotum fuiſſe; non propriè quæritur utrum vita S. Marci Evangeliſtæ poſt Iſidori, ante Bedæ tempora ſcripta fuerit, ſed utrum illius Martyrij ante Gelaſium, & poſt eum ante Iſidorum meminerint quidam Eccleſiaſtici ſcriptores; quoniam ſi utrúmque compertum eſt, cauſâ cadet Vindiciarum Autor, & vitam S. Marci ante tempus à Viro docto præſtitutum ſcriptam eſſe par erit credere; hæc

Digitized by Google

duo igitur probanda nobis incumbunt; Martyrij ſcilicet S. Marci ante Gelaſium, & poſt eum ante Iſidorum extare mentionem, primùm caput quod attinet probatur teſtimonio Palladij qui 80. plus minùs ante Gelaſium annos de Philoromo Presbytero in Hiſtoriâ Lauſiacâ ita ſcribebat; *Is pedeſtri itinere venit Romam uſque, ad orandum in ſanctiſſimo beatorum & ſanctornm Chriſti Apoſtolorum Petri & Pauli martyrio: pervenit autem etiam uſque ad Alexandriam, ad orandum in martyrio venerandi Athletæ Marci*; Vides martyrium Marco æquè ac Petro & Paulo ſæculo quarto dicatum fuiſſe, quia glorioſo martyrio vitam finijſſe vulgò credebatur. Secundum caput vindicat Gregorius Turonenſis quadraginta circiter annos ante Iſidorum Hiſpalenſem denatus; Is enim de perſecutione à Nerone excitatâ agens, hæc habet, *tunc & Iacobus frater Domini, & Marcus Evangeliſta, pro Chriſti nomine glorioſo martyrio coronati ſunt.* Fruſtrà igitur ex martyrio S. Marci cujus meminit Gelaſianum Decretum, illius ſugillandi anſam arripuit Vir doctus, cùm certo certiùs ſit longè ante Gelaſium Chriſtianis innotuiſſe illud martyrium. Ex omnibus quæ hactenus dicta ſunt patet omnes Viri docti in Nicephori ſtichometriam & Ge-

Hiſt. Lauſ. cap. 113.

Greg. Turon. Hiſt. l. 1. c. 25.

Digitized by Google

laſij Decretum conatus planè irritos fuiſ-
ſe; ſtat enim utríque ſarta, tecta & firma
autoritas, quam præſtantiſſimus Vindicia-
rum Autor nequaquàm cōvellere potuit,
quamvis eam maximo cum impetu ador-
tus ſit, illámque undique ſollicitare ten-
taverit: nec Viri docti cauſam juvat
quod poſtremò dicit, Ignatij Epiſtolas in
Nicephori Indiculo, nec nominari, nec
innui, nec quovis modo contineri, ſed
Ignatij διδαχὴν ſeu διδασκαλίαν, id eſt do- *Pearſ.*
ctrinam quam omnes apocrypham & ſpu- *p. 59. 60.*
riam fatentur, ut hoc probet, ad Indicu-
lum confugit MS. qui extat inter libros
Baroccianos in Bibliothecâ publicâ Oxo-
nij, in quo liber ille qui *Ignatij doctrina*
inſcribitur inter apocrypha relegatur; ſi-
milem Indiculum, ex Bibliothecâ Chri-
ſtianiſſimi Regis edidit Ioannes Baptiſta
Cotelerius, ex quo quemadmodum ex ſuo *in lib. 1.*
MS. Vindiciarum Autor, colligit Later- *Conſt.*
culum Nicephorianum non amandare ad *Apoſt.*
apocrypha Epiſtolas Ignatij, ſed librum *p. 117.*
illum qui *Ignatij doctrina* cognominatur;
quid audio, Nicephorus Ignatiana abſ-
que ulla diſtinctione in apocryphorum
ordine ac claſſe cenſet, Viri autem iſti
eruditi ad Ignatij διδαχὴν referunt, quæ
Patriarcha Conſtātinopolitanus de Igna-
tianis in genere pronuntiavit; De Hermâ

eodem planè modo loquitur ac de Ignatio, negare non poſſunt Viri docti omnia Hermæ ab Indiculi autore inter apocrypha fuiſſe rejecta, fateantur ergo neceſſe eſt Ignatiana omnia eadem ſententiâ fuiſſe pariter notata atque damnata, nullum enim inter utrorúmque damnationem cernitur ne minimum quidem diſcrimen; tantine conſtitiſſent Nicephoro tria aut quatuor verba, ut diſtinguerentur quæ diſtinguenda erant? & ſi eum non piguit cætera apocrypha ſigillatim recenſere, cur quæſo piguiſſet Ignatij ſpuria & ficta, à veris ac genuinis ſecernere: ſed quia quotquot Ignatij nomine circumferebantur Nicephoro adulterina & ſuppoſititia videbantur, ea omnia eadem damnationis ſententiâ involvere non dubitavit.

III. Poſtquam Nicephori ſtichometriam & Gelaſij Decretum ab omnibus Viri docti objectionibus vindicavimus, & teſtes à Dallæo adductos, tales apparere quales ille voluit, & id omninò teſtari quod autoris Vindiciarum ſententiæ contrarium eſt fusè demonſtravimus Examinandi veniunt Viri eruditi teſtes, an ſcilicet ij ſint quos eſſe ille dicit, aut reverâ id teſtentur quod ipſe vult: Et cum de teſtibus ab eo

Digitized by Google

allatis verba facio, eos ſolos intelligo qui Euſebio vetuſtiores fuerunt, teſtes videlicet trium primorum Æræ Chriſtianæ ſæculorum; quia pleríque ſcriptores Eccleſiaſtici Euſebio æquales vel ſuppares, vel eo etiam admodùm juniores, illius de Ignatianis Epiſtolis ſententiam, abſque ullo ut ferè ſolent prævio examine certatim amplexi ſunt: quamvis in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ in qua luculentum Ignatij Epiſtolis perhibet teſtimonium, non ſemel aut iterùm, ſed ſæpiùs hallucinatus ſit, ſuóque exemplo alios in errorem induxerit, quod ita tamen accipi nolim quaſi antiquiſſimo & doctiſſimo ſcriptori, cui certè plurimum debemus obtrectandi aut ſubſannandi eſſet animus; Quicquid ſit tres tantùm ætatis quam deſignamus teſtes adfert clariſſimus Vindiciarum Autor, Polycarpum, Irenæum, & Origenem, quorum teſtimonia cap. 5. 6. 7. ab exceptionibus vindicare conatur. Equidem Virum doctum κατὰ πόδας ſequi, vel omnia illius dicta ad vivum reſecare aut minutatim expendere non decrevi, ſed oſtendere modò teſtes ab eo adductos non eſſe omni exceptione majores; cùm plura ſint quæ eis fidem deeſſe ac vim arguant, & ſi inteſtabiles eos prorsùs non reddunt, illorum ſaltem autoritatem ita labefactant ac in-

Digitized by Google

fringunt, ut tantæ liti dirimendæ haud idonei videantur; agmen ducit Polycarpus in illâ quæ ejus nomine circumfertur Epiſtolâ, ex quâ primum pro Ignatianis petit teſtimonium Vindiciarum Autor, utque majoris ſit ponderis pluribus probat hanc Philippenſibus inſcriptam Epiſtolam, genuinum eſſe Polycarpi Ioannis Apoſtoli Diſcipuli fœtum: non diffitebatur Dallæus neque ego poſt illum diffiteor extitiſſe Polycarpi nomine ad Phillipenſes Epiſtolam, quæ magnæ erat apud noſtrorum vetuſtiſſimos famæ; quæritur tantùm num aliquid prohibeat, quominus certa & indubitata ſit teſtimonij fides; duo quædam nequaquam contemnenda hoc prohibere dixerat præſtantiſſimus Dallæus; priùs quidem, quod ejus epiſtolæ, ex quâ deſcriptum eſt teſtimonium non ſit apud omnes recepta autoritas; *ſunt enim*, inquit *ſcriptores, & ij quidem graviſſimi, qui eam apocrypham eſſe judicant, & in apocryphorum cenſu reponunt*: Scriptores illi ſunt Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Anaſtaſius Eccleſiæ Romanæ Bibliothecarius, in Indiculo enim quem ille edidit, & quem iſte adoptavit, *Ignatij, Polycarpi, Paſtoris & Hermæ libri* vel ſcripta ad apocrypha amandantur: Vt telum iſtud declinarer

Dall. cap. 32. pag. 426.

ret Vir doctus, grandem Nicephori ſtichometriæ dicam ſcripſit, illius minimè eſſe, ac proinde nullam mereri fidem contendit: Verùm tot tantíſque rationum momentis illum Indiculum Patriarchæ Conſtantinopolitano vindicavimus, illiúſque eſſe ſive compoſitionis ſive adoptionis ſaltem jurè evicimus, ut nullus ſupereſſe queat hac de re dubitandi locus; nec Vindiciarum Autorem juvaret dicere Nicephorum in Laterculo ſuo non Epiſtolam Polycarpi ſed διδαχὴν inter apocrypha rejeciſſe; memoratur quidem in Indiculo à Cotelerio edito διδαχὴ Polycarpi, quemadmodum διδαχὴ Ignatij; ſed inde non ſequitur ſolam Ignatij & Polycarpi διδαχὴν à Nicephoro damnari, ut nuper dicebamus ad eandem Viri docti exceptionem, omnia enim Ignatij & Polycarpi ſcripta ad apocrypha retulit, & apocrypha deterrimi generis, ut à nobis ſuprà argumentis haud contemnendis probatum eſt. Secundò obſervaverat idem Dallæus, etiamſi Epiſtolæ de quâ lis eſt fides adhiberetur, non ideò rem omnem confectam eſſe, quia poſtremam Epiſtolæ particulam ex quâ argumentatur eruditus Pearſonius, alienâ manu aſſutam exiſtimabat; quod duobus aſtruebat argumentis, 1. quoniam videtur poſt concluſam

ab auctore verbis proximè præcedentibus epiſtolam addita, quæ votum pro Philippenſibus hoc continent; *Deus autem & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ipſe ſempiternus Pontifex, Dei filius, Ieſus Chriſtus ædificet vos in fide & in veritate, & in omni manſuetudine, & ſine iracundiâ, & in patientiâ, & longanimitate, & tolerantiâ & caſtitate, & det vobis ſortem & partem inter ſanctos ſuos, & nobis vobiſcum, & omnibus qui ſunt ſub cœlo, qui credituri ſunt in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & in ipſius Patrem, qui reſuſcitavit eum à mortuis. Pro omnibus ſanctis Orate. Orate etiam pro Regibus, & Poteſtatibus & Principibus, atque pro perſequentibus & odientibus vos, & pro inimicis Crucis; ut fructus veſter manifeſtus ſit in omnibus, ut ſitis in illo perfecti.* Hiſce verbis ex Epiſtolâ deſcriptis ita pergit Dallæus, *in hanc decentiſſimam, ut omnes vident, clauſulam deſinebat Epiſtola. Quæ ſequuntur, SCRIPSISTIS MIHI ET VOS ET IGNATIVS, & cætera paulò ante à nobis deſcripta, iſtis minimè cohærent, omninóque videntur temerè & præter Autoris mentem alienâ manu aſſuta.* 2. Oſtendebat aliter de Ignatio loqui particulæ ſcriptorem, aliter epiſtolæ Auctorem, imò inter ſe pugnantia ſcribere, quod validiſſimo illi erat argumento adverſus poſtre-

Dall. pag. 427

mam epiſtolæ particulam; Vt omnia clariora evadant adferenda ſunt ipſiſſima illius particulæ verba, in quibus continetur Polycarpi de Ignatianis teſtimonium; *Scripſiſtis mihi & vos & Ignatius, ut ſi quis vadit ad Syriam, deferat litteras meas quas fecero ad vos: ſi habuerimus tempus opportunum ſive ego, ſeu legatus quem miſero pro vobis. Epiſtolas ſanè Ignatij quæ tranſmiſſæ ſunt vobis ab eo, & alias quantaſcúnque apud nos habuimus, tranſmiſimus vobis (ſecundum quod mandaſtis) quæ ſunt ſubjectæ huic Epiſtolæ: ex quibus magnus vobis erit profectus. Continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum noſtrum pertinentem. Et de ipſo Ignatio, & de his qui cum eo ſunt, quod certiùs agnoveritis, ſignificate.* Ita enim Græca reddidit Vetus Interpres Latinus, cujus verſionem edidit Vſſerius, ſi poſtrema verba excipias quæ tantùm Latinè extant & quæ à ſolo habemus Interprete, Euſebius quidem Hiſt. Eccl. lib. 3. c. 36. totam hanc repræſentat laciniam præter iſta quæ difficultatem pariunt, movéntque litem, *& de ipſo Ignatio & de his qui cum eo ſunt, quod certiùs agnoveritis, ſignificate*, hæc videlicet verba apud unum Veterem Interpretem leguntur, ſive ex Græco tranſtulerit, ſive ex ſuo addiderit, ſive potiùs alienâ

Digitized by Google

manu ſubjuncta ſint, quod à vero non eſt alienum, ſaltem ſi perpendatur in his poſtremis verbis agi de Ignatio ac ſi adhuc in vivis eſſet, nondúmque vitam cum morte commutaſſet; Epiſtolæ verò auctor planè alia loquitur; apertiſſimè affirmans Ignatium, quo tempore ipſe ad Philippenſes ſcribebat, jam fuiſſe Martyrij coronâ redimitum, ultimóque certaminis actu gloriosè perfunctum. Res clara eſt. Hortatur enim Philippenſes *ad illam juſtitiam & patientiam*, quam *oculatâ fide*, vel ipſis oculis viderant, *non ſolùm in beatis Ignatio, & Zoſimo, & Ruffo*, ſed in quibuſdam de ſuo grege *alijs & in ipſo Paulo, cæteriſque Apoſtolis*, hæc inquam ita præfatus, iſta deinceps continenter de ijſdem ſubjicit, *confidentes, quia HI OMNES non in vacuo cucurrerunt, ſed in fide & iuſtitiâ, & ad debitum ſibi locum à (vel cum) Domino, cui & compaſſi ſunt, abierunt*, vel ut Græca ſonant, *perſuaſi quod hi omnes in vacuum non cucurrerunt, ſed in fide ac juſtitia, & quod in debito ſibi loco ſint apud Dominum cum quo & paſſi ſunt.* Vtráque inter ſe contenderat Dallæus, & cum manifeſtam vir emunctiſſimæ naris animadvertiſſet contradictionem, inter epiſtolæ Autorem & particulæ ſcriptorem, meritò colligebat illam omnem particulam in

Dall. pag. 428.

quâ cum ſuperioribus epiſtolæ verbis tantopere pugnantia leguntur, alteriùs quàm Autoris epiſtolæ manu ſcriptam eſſe, eámque falsò ac vafrè epiſtolæ eſſe aſſutam ab aliquo impoſtore. Et ſanè nulla unquam excogitari potuit major contradictio: Epiſtolæ Autor affirmat Ignatium paſſum eſſe, certaminis ſui omnes actus conſummaviſſe, denique jam coronatum ſuo apud Dominum loco quieſcere, ac exultare, neque amplius in his terris morari: particulæ verò ſcripto putat Ignatium adhuc ſupereſſe, vivere, valere, & ad ultimum certaminis actum feſtinare: *Et de ipſo Ignatio & de his qui cum eo ſunt, quod certiùs agnoveritis, ſignificate.* Eſtne credibile Polycarpum virum ſapientiſſimum ac veraciſſimum, eadem de re tam diſſentanea, támque inter ſe contraria ac repugnantia loquutum eſſe? Scripſerat Philippenſes *perſuaſos eſſe ac confidere* quod Ignatius curſu ritè conſummato ad locum ſuum apud Dominum abijt, & ſtatim eoſdem rogat, ſi quid de Ignatio & his qui cum eo ſunt, inaudierint, ut ſe de his faciant certiorem, quis hoc ferat in aliquo ſanæ mentis homine, nedum in Polycarpo ſanctiſſimo Martyre, tótque excellentiſſimis ingenij dotibus prædito ac cumulato? certè erudito Vindiciarum

Autori me injuriam facere putarem; ac de illo nimis abjectè ſentire, ſi in animum inducerem, eum in tantulo ſpatio & eadem de re adeò contraria ſcribere poſſe; non igitur moleſtè ferat ſi, ut Polycarpum ab hoc liberemus incommodo, illúmque tam apertæ contradictionis præſtemus immunem, ſi inquam alium fuiſſe epiſtolæ Autorem, alium verò particulæ ſeu laciniæ ſcriptorem aſſerimus; reſpon-
Pearſ. p. 72. 73. det Pearſonius hanc quâ de agimus particulam, nihil cauſam ſuam juvare ſi admittatur, nihil illi officere ſi rejiciatur; imò tibi multùm officit Vir docte, ſi eam tanquam addititiam rejicis: ita enim argumentari licebit, ultima particulæ de quâ lis eſt verba alienâ manu aſſuta eſſe conſtat, quis igitur cæterorum ejuſdem particulæ verborum fidem mihi præſtare poterit; Euſebius præſtabit inquiet eruditus Pearſonius, fateor apud Euſebium legi cætera laciniæ verba, ſed hoc non impedit quominus omnis illa particula ab impoſtore quodam dolo malo aſſuta fuerit, cum de poſtremis illius verbis diſertè non negetur; nam priora particulæ verba non magis cohærent cum ſuperioribus quàm poſtrema, nec majorem ea propter merentur fidem, ſive maturiùs, ſive tardiùs, ſive eodem temporis momento cum

poſtremis ſubjecta fuerint. Pergit Vir doctus & admiſsâ poſtremâ laciniæ particulâ, dicit particulæ illius Autorem non ſignificare aut ullo modo innuere Ignatium tunc in vivis fuiſſe; ſed quia audire poterant Philippenſes aliquid de Ignatio vivo, Polycarpum id ab illis ſcire cupere illo defuncto: frigida profectò ſolutio, nam ſi illud negem, non video quâ ratione hanc aſſertionem probaturus ſit Vindiciarum Autor, quia inquit *Ignatius per Philippenſes pertranſivit Macedoniam pedes*, ut referunt illius Acta, à Philippenſibus autem miſſi ſunt aliqui qui eum honoris & refrigerationis cauſa itinere deducerent; eſto per Philippenſes tranſierit Ignatius, ab illis deductus fuerit, & ab eo aliquid audierint qui illum deducebant, non propterea ſequitur Polycarpum à Philippenſibus ſcire cupere quod de Ignatio vivo audire poterant; ſi hæc Polycarpo mens fuiſſet, non obſcurè & involutè, ut facit, rem de quâ certior fieri cupit, percontatus eſſet; verbis perſpicuis ac expeditis rogaſſet Philippenſes, ut quæ de Ignatio vivo audierant ſignificare dignarentur, quod ex iſtis particulæ Autoris verbis ne uncis quidem ac fidiculis exſculpi poteſt, *& de ipſo Ignatio & de his qui cum eo ſunt, quod certiùs agnoveritis, ſigni-*

Digitized by Google

ficate; ita videlicet loqui ſolemus, dum amicorum vivorum res & ſtatum cognoſcere cupimus, illis verò defunctis alijs utimur verbis ſi aliquid ab ijs, dum adhuc in viuis eſſent, prolatum ſcire deſideramus; unde ſequitur particulæ ſcriptorem putaſſe Ignatium, dum hæc ſcriberet, ſupereſſe, vivere, & ad ultimum certaminis actum feſtinare, ut fatetur apud Dallæum doctiſſimus Hammondus acerrimus Ignatianorum vindex. Hinc liquet quàm temerè Vir alius eruditus hanc quam urgemus ἀντιλογίαν ſeu contradictionem rideat, quaſi veritate planè eſſet deſtituta, *ponatur*, inquit, *quemadmodum ſentimus, ſcripſiſſe Polycarpum tunc temporis, cùm Ignatius martyrium ſubiiſſe credebatur, incerti tamen (ut ferè fit) rumores ferebantur de ijs quæ in morte illius contigerant. Hoc poſito, nonne conveniebat ut Polycarpus diceret, Ignatium apud Deum locum ſuum obtinere, ſimúlque peteret edoceri de Ignatio & de his qui cum eo ſunt, ſiquid Philippenſes explorati accepiſſent.* Mira ratiocinatio ſi ſolido niteretur fundamento, at eo planè deſtituitur: ſiccine Vir ille eruditus percontari ſolet de ijs quæ in amicorum morte contigerunt? Quis unquam vel fando audivit hæc verba, *& de ipſo amico, & de his qui cum eo ſunt*, quod certiùs *agno-*

Dall. pag. 426

Coteler. in Ignat. Epiſt. pag. 440

agnoveritis, ſignificate, ita explicanda eſſe, eorum quæ in amici morte contigerunt, ſi quid explorati habetis, certiorem facite; obſecro tuam fidem Vir erudite, num ita ad familiares ſcriberes, ſi amici cujuſdam omnes mortis circunſtantias ſcire cuperes? Non puto; cur igitur Polycarpum ſic ſcribentem repræſentare non dubitas? Sed ad Vindiciarum Autorem redeo, ut tandem aliquando concludam Polycarpianam Epiſtolarum Ignatianarum collectionem adeò ſuſpectæ eſſe fidei, ob fragile ac falſum cui innititur fundamentum, nempè poſtremam Epiſtolæ particulam quam alienâ manu aſſutam demonſtravimus, ut teſtimonium inde deſcriptum nullius planè momenti eſſe queat, præſertim ſi ſpectentur quæ de vacillante totius ſylloges fide initio obſervationum iſtarum ſcripſimus, quibus omnibus adjicere lubet Ignatianorum Vindicem nihil omninò repoſuiſſe ad ſolutiones quibus Hammondi argumenta ex iſtâ Epiſtolæ laciniâ deſumpta refellit clariſſimus Dallæus.

Polycarpum excipit Irenæus ſecundus à Vindiciarum Autore excitatus teſtis, ſed an validè ac fœliciter ex illius teſtimonio argumentetur Vir doctus diſquirendum eſt; fuit quidem Irenæus jam à XIV.

K

puero Polycarpi diſcipulus, ideóque ignorare non potuit Ignatianarum Epiſtolarum ſyllogen à Polycarpo procuratam, ſi illius igitur alicubi meminit Irenæus, vel Epiſtolas in eâ comprehenſas, ſi non omnes, ſaltem quaſdam nominatim memorat, illáſque tanquam genuinum Ignatij fœtum Polycarpo cognitas eſſe aſſerit, Viri docti cauſæ aliquo modo patrocinabitur, quamvis nondum liquidò conſtaret quas hodiè habemus ſub Ignatij nomine Epiſtolas, eaſdem prorsùs eſſe cum iis quæ in collectione Polycarpianâ extabant; ſi ulteriùs progrederetur Irenæus, & aliquot ex hodiernis Epiſtolis citaret ῥήσεις ſeu ſententias, indicatis nominatim locis unde deſcriptæ fuiſſent, illius pro Ignatianis teſtimonium libenter amplecteremur, & Ignatium Epiſtolas controverſas ſcripſiſſe ingenuè agnoſceremus: ſed quoniam nihil tale ex Irenæo adducunt Ignatianorum patroni, non eſt quod ſententiam mutemus, nec ab opinione quâ juſtis de cauſis fuimus imbuti dimoveamur. Quid igitur, inquies, ex Irenæo afferunt Viri docti in gratiam Ignatianorum? afferunt, inquiam, hæc verba quæ leguntur cap. 28. extremo libri quinti adverſus hæreſes: *Quemadmodum quidam de noſtris dixit, propter martyrium in Deum*

adjudicatus ad beſtias: Quoniam frumentum ſum Chriſti, & per dentes beſtiarum molor, ut mundus panis Dei inveniar. Fatentur omnes Ignatium ab Irenæo hîc deſignari, & prætereà de verbis ipſis nulla prorſus lis eſt, cum ab Ignatio prolata dubitet nemo; verùm quia eadem verba extant in Epiſtolâ ad Romanos Ignatij nomine inſcriptâ, pertendit Vindiciarum Autor illa ab Irenæo ex hac Epiſtolâ deſcripta fuiſſe, quod negabat Dallæus, & certè meritò, cum Irenæus de Epiſtolâ Ignatij ad Romanos nullum verbum faciat, neque hæc quæ laudat verba vel in eâ vel ex eâ Epiſtolâ legiſſe affirmet, nihil aliud ſcribit Irenæus, niſi hoc iſtum cujus meminit *dixiſſe*; ſi ſaltem, ait Dallæus, hæc eum *ſcripſiſſe* diceret, colorem licet falſum & evanidum, aliquem tamen haberet argumentatio: ſic enim ex aliquo Ignatij *ſcripto*, inquit, hæc ejus verba Irenæum habuiſſe legitimè concluderes; tametſi illud unde ea ſumpſiſſet, Ignatij ſcriptum, ne ſic quidem conficeres eandem illam eſſe quam nos hodie habemus, ad Romanos ejus nomine inſcriptam Epiſtolam; pergit celeberrimus Dallæus, & eo futiliorem eſſe hanc pro Ignatianis argumentationem putat, quod Irenæus hæc quæ refert verba, Ignatium non *ſcripſiſſe*,

Dall. cap. 33. *pag.* 434. 435.

ſed *dixiſſe* memorat: Quid ad hæc eruditus Pearſonius ? obſervat primùm diſtinctionem illam inter iſta duo *dixit* & *ſcripſit*, cùm verba ipſa ſcripta eſſe ſciamus, *nullam prorsùs vim habere cùm notum ſit ſententias & loca à Veteribus citata eſſe* per verbum hoc *dixit* non minus, imò ſæpiùs quàm per verbum alterum *ſcripſit*; Deinde plura congerit exempla ut ſuam hanc tueatur aſſertionem; ſed benè eſt quod Vir doctus iſtam dictis appoſuerit conditionem, *cùm verba ipſa ſcripta eſſe ſciamus:* perſuaſi enim ſumus Irenæum iſta quæ de Ignatio narrat ſcripta eſſe haudquaquam ſciviſſe, imò ne ſcire potuiſſe, cùm nullibi ſcripta legerentur; extant equidem in Epiſtolâ ad Romanos quæ Ignatij nomen præfert; ſed Epiſtolam illam poſt Irenæi ætatem conſarcinatam & conflatam eſſe contendimus: cùm igitur Irenæus iſta quibus de agitur verba ſcripta eſſe ſcire non potuerit, fateatur neceſſe eſt Vir doctus diſtinctionem illam inter iſta duo *dixit* & *ſcripſit*, plurimùm valere: nam affirmat modò nullam prorsùs vim habere, *cùm verba ipſa ſcripta eſſe ſciamus*: nec ſibi pro conceſſo ſumere vellet Vindiciarum Autor, quod in quæſtione eſt, ſcilicet germanam

Pearſ. cap. 6. p. 85. 86.

Digitized by Google

eſſe quæ Ignatij nomine circumfertur ad Romanos Epiſtolam, alioquin vitioſa eſſet, ut optimè novit, argumentatio: ſed ſeponamus tantiſper quam verbis ſuis appoſuit conditionem, & diſtinctionem illam inter iſta duo *dixit* & *ſcripſit* conſideremus: non diffiteor, nec meâ quidem ſententiâ diffiteretur Dallæus, ſententias & loca à Veteribus citata eſſe, non ſolùm per verbum *ſcripſit*, ſed etiam per verbum alterum *dixit*; Verùm concedet etiam Ignatianorum vindex verbum iſtud *dicere* propriè ad ea quæ ore proferuntur ſpectare, minúſque propriè ad ea quæ ſcripta ſunt pertinere; Iam nemo neſcit à nativâ & magis propriâ verborum ſignificatione temerè & abſque neceſſitate diſcedendum non eſſe, ſed ut Viro docto morem geramus, demus verbum *dixit* quo utitur Irenæus, & quæ voce, & quæ ſcripto edita ſunt, indifferenter denotare, non magis illius cauſam juvabit Irenæi narratio quàm noſtram, ac proinde omittendum erit teſtimonium pro Epiſtolis Ignatianis ex illa narratione deſumptum: quod aliquo modo fecit reverendiſſimus Vſſerius hunc Irenæi locum minimè urgendum cenſens, *cùm verbum illud* εἶπε (inquit) *& quæ voce, & quæ ſcripto edita ſunt, indifferenter denotet: & hoc ipſum à ſanctiſ-* *Vſſerius Proleg. ad Ign. c.3. p.13.*

ſimo illo viro non ſolùm in Epiſtolâ ad Romanos exaratum, ſed etiam in ipſo agone fuiſſe repetitum, & Acta martyrij ipſius, & Hieronymus in Scriptorum Catalogo confirmant: verò ſimiliùs eſſe exiſtimant alij, ut de damnatione. Martyris ad beſtias loquutus Irenæus, vocem ab eodem, audito beſtiarum rugitu, prolatam potiùs quàm ſcripto anteà mandatam, memoriæ commendare hîc voluerit. Hæc doctiſſimus Vſſerius non ultra premens hunc Irenæi pro Epiſtolis Ignatianis locum; quod autem dicit de Actis Martyrij Ignatij & de Hieronymo, veriſſimum eſt, nempe teſtantur ambo verba quæ examinamus ab Ignatio, audito beſtiarum rugitu fuiſſe prolata; *cùm jam damnatus*, inquit Hieronymus, *eſſet ad beſtias, & ardore patiendi rugientes audiret leones, ait: frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Cum eo faciunt & Actorum Ignatij deſcriptores, qui eum ad circunſtantes ſupremum hunc ſermonem habuiſſe ferunt. *Viri Romani, qui hoc certamen ſpectatis, non ſine causâ laboravi, non propter pravitatem hæc patior, ſed propter pietatem: frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar*; Ita Latini apud Adonem Viennenſem de feſtivitatibus Apoſtolorum D. 1. Febr. ubi ob-

Hieron. in Catal.

Digitized by Google

ſervatur iſta dixiſſe Ignatium, cum jam projectus beſtias audiret rugientes: Latini verò hæc à Græcis mutuati ſunt, & in Ignatij Acta quibus ipſi utebantur, tranſtulerunt, extant enim Græcè totidem verbis apud Vſſerium notis in Epiſtolam ad Romanos Ignatij nomine inſcriptam; Metaphraſtes ipſe quoque Græcus uberius pro more ſic expreſſit, *Viri Romani & præſentes hujus certaminis ſpectatores, non hæc mihi fiunt ob aliquod maleficium, neque ut luam pœnas pravorum facinorum, ſed ut Deum aſſequar, cujus quidem teneor deſiderio, & quem cupio inſatiabiliter; ſum enim ejus frumentum, & molor per dentes beſtiarum, ut fiam ei purus panis.* Breviarum Romanum ad D. 1. Febr. lect. 6. eadem planè habet cum Hieronymo, cujus ipſiſſima verba ſibi adoptavit. Iam quivis videt & Hieronymum, & Acta Martyrij ſiue Græca ſive Latina, & Metaphraſtem, & Breviarium Romanum teſtari Ignatium vocem de quâ lis eſt, audito beſtiarum rugitu protuliſſe, non poteſt igitur doctiſſimus Vindiciarum Autor ex Irenæi narratione pro ſuâ cauſâ legitimè argumentari; tamen quia ſibi adimi Irenæum ægrè fert Vir eruditus, omnem movet lapidem ut Hieronymo & Actis Martyrij denegetur fides, Hieronymi varias adfert

Pearſ. p. 87. 88.

ut ſibi videtur hallucinationes, ſed hallucinatus ſit centies Hieronymus, incogitantiâ aliquando laborârit, imò plura de ſuo Euſebio addiderit; num propterea rejicienda erunt tanquam falſa & abſurda, quæ ſcribit de tempore quo Ignatius ſententiam illam quam agitamus protulit? Quid fiet de ipſo Euſebio ſi tam rigidè cum eo agatur? quoties ab eo peccatum eſt? Et quot ſunt in Hiſtoriâ illius Eccleſiaſticâ hallucinationes & infirmitatis humanæ monumenta? certè ſi valet Viri docti adverſus Hieronymum argumentatio, ruet tota ferè Pearſonianæ diſputationis moles, quæ Euſebij autoritate præcipuè nititur; Acta verò Martyrij quod attinet, dicit *non illa eſſe quæ ætate S. Irenæi extabant, ſed alia planè ſexto vel ſeptimo ſæculo ficta, & fabuloſis narrationibus aucta, quibus Ignatium quaſi in Amphitheatro loquentem introducunt, quem ne unum tunc verbum dixiſſe antiquiſſima Acta narrant.* Miror hæc à Viro docto tam confidenter dicta, nonne probabiliùs eſt Hieronymum quæ de Ignatio narrat, ex antiquis Martyrij Actis deſcripſiſſe? Putátne eruditus Pearſonius celeberrimum illum Eccleſiæ Doctorem hæc gratis finxiſſe, & quæ de ſanctiſſimo ſcribit Martyre ex ſuo cerebro hauſiſſe? Profectò injuriam faceret

Id. ib. pag. 89.

ret antiquiſſimo ſcriptori, & de Eccleſiâ optimè merito, qui ita exiſtimaret; ſatiùs eſt dicere Hieronymum in antiquiſſimis Martyrij Actis legiſſe, quæ de Ignatio habet, & ſi fortè aliquam jam ſuâ ætate mutationem experta eſſent illa Acta, nullam tamen ſenſiſſe iſtiùs quâ de agitur circunſtantiæ reſpectu par eſt credere; nam ex iſtis Actis vel alio quodam ſcripto æquè vetuſto quæ de Ignatio narrat, deprompſiſſe Hieronymum eſt pluſquàm veriſimile; Euſebius dices, iſtiùs circunſtantiæ non meminit, quid tum! illius non intererat meminiſſe, vel ſaltem eam commemorare neceſſarium non putavit; non ignorat Vir doctus ſcriptores qui ex alijs ſua deſcribunt, id pro arbitrio facere, & quæ ſibi tantùm conducere videntur excerpere ſolitos eſſe: Hieronymus hanc Ignatij ſententiam ſuæ de illius Martyrio narrationi inſerere haud inutile duxit, ideóque ex antiquis quæ tunc extabant Martyrij Actis eam hîc tranſcribere non dubitavit; eadem quæ Euſebius monumenta verſare potuit Hieronymus qui Catalogum ſuum de Scriptoribus Eccleſiaſticis annos poſt Euſebij mortem circirciter quinquaginta exaravit; fruſtra igitur eum inſimulat Vir doctus quaſi ex

ſuo addidiſſet quæ ex ſcriptis ſe admodum vetuſtioribus deſumpſerat; Dallæus præ- *Dall. c. 5. p. 253. ad 270.* tereà argumentatus erat adverſus Ignatiana ex Irenæi ſilentio qui in refutandis ac refellendis ſuæ ætatis Hæreticorum erroribus & deliramentis, Ignatij autoritate nuſquam uſus eſt, etſi quas hodie habemus Epiſtolæ plura contra ejuſmodi Hæreticos ſubminiſtrent argumenta; ſecundò à ſolito Irenæi agendi modo, qui præſtantiorum virorum ſe vetuſtiorum ſententias afferre ſolet, in nominatis Autoribus, cùm tamen nullas ex Ignatij Epiſtolis ſuo operi inſperſerit: tertiò ex eo quod Clementis & Polycarpi memorat Epiſtolas, Ignatianas nequaquam; quartò denique quod eaſdem adverſus Florinum agens ſilentio præterit, quamvis *Presbyterorum qui Apoſtolorum diſcipuli fuerunt, Polycarpi* in primis Autoritatem afferat. Plura hiſce objectionibus reponit eruditus Pearſonius, & ſeſe in omnes partes *Pearſ. c. 6. p. 90 ad 102.* verſat, ut tela iſta declinet, ſed fruſtrà ſe torquet, nec Ignatium ſuum ab iſtis ictibus tutum præſtare poteſt, quod probatu eſſet facilè, niſi nobis propoſitum fuiſſet oſtendere tantùm teſtes trium primorum ſæculorum à Viro docto adductos, non eos eſſe quos eſſe ille dicit, neque eorum teſtimonia ea pariter eſſe quibus omnimoda

adhibeatur fides, quod cùm de Polycarpi & Irenæi teſtimonijs fusè & clarè demonſtraverimus, ſupereſt ut de Origene agamus.

XV. Ex Origene ſiquidem duo afferri ſolent loca ab Ignatianorum fautoribus, alter ex Prologo in Canticum Canticorum, alter verò ex Homiliâ ſexta in Lucam, in priori loco hæc leguntur, *memini aliquem Sanctorum dixiſſe, Ignatium nomine, de Chriſto, Meus autem amor crucifixus eſt*; poſterior iſtis concipitur verbis, *Eleganter in cujuſdam Martyris Epiſtolâ ſcriptum reperi (Ignatium dico Epiſcopum Antiochiæ poſt Petrum ſecundum, qui in perſecutione Romæ pugnavit ad beſtias) Principem ſæculi hujus latuit Virginitas Mariæ.* En tibi duo quæ vulgò deſcribuntur pro Ignatianis Epiſtolis ex Origene teſtimonia, quorum illud extat in eâ Epiſtolâ quæ nunc ad Romanos ſub Ignatij nomine circumfertur *Meus amor*, vel ut Vſſerianus liber habet, *Meum deſiderium crucifixum eſt*, iſtud verò in ea quæ ad Epheſios inſcripta eſt, reperitur, *Latuit principem ſæculi hujus virginitas Mariæ.* Ad utrúmque locum ſimul ſemélque reſpondet Dallæus, levis eſſe ad rem, quæ agitur momenti, quod opuſculorum ex quibus allati ſunt, dubia ſit & incerta auctoritas, deinde utrúmque

Dall. cap. 34. *pag.* 438. 439.

Digitized by Google

ſeparatim expendit, & initium faciens à loco qui ex Prologo in Canticum Canticorum deſumitur, ſcribit gravem eſſe ac veram, ut videtur, magni Viri & à partium ſtudijs alieni Eraſmi cenſuram, quæ ſic ſe habet: Inter *opera Hieronymi ferebatur & hic commentarius* (in Canticum Canticorum) *cùm nec Origenis ſit, nec Hieronymi, ſed hominis Latini, pulcrè docti ac benè diſerti. Græcum non fuiſſe vel hinc colligas licebit, quod in prologo citat Græcos, velut alienos: cùm apud Græcos*, inquit, *qui eruditi ac ſapientes videntur. Idem liquet ex interpretatione amoris, caritatis, dilectionis, & cupidinis.* Addit Dallæus idem eſſe de hoc commentario Brunonis Amerbachij judicium, & Sixtum Senenſem fateri id opus in vetuſtis quibuſdam codicibus nomine Hieronymi prænotatum fuiſſe; & hinc petita teſtimonia Ambroſio à Thoma & Lombardo tribui, ut eſt, inquit, à Coco noſtro jampridem obſervatum, quod certè veriſſimum eſt; His omnibus à Dallæo citatis ſcriptoribus qui opus iſtud in Canticum Canticorum Origeni abjudicant, duos celeberrimos Ieſuitas ſubjungere non pigebit, Philippum videlicet Labbæum & Theophilum Raynaudum quorum utérque idem de hoc ſcripto ſentire videtur; Labbæus

enim poſtquam obſervavit quæ fuerit de hoc opere Sixti Senenſis ſententia, nempe pium, diſertum atque eruditum opus eſſe, hæc continenter ſubnectit; *ſed non eſſe Auctoris Græci plures ſuadent, quorum rationes non ſunt hîc, ne in immenſum creſcant Obſervationes, pluribus excutiendæ,* quamvis enim in ſequentibus duas confutet rationes eorum, qui hoc opus Origeni ſuppoſitum exiſtimant, quia invalidas putat, ita tamen obſervationem ſuam finit, ut lucubrationem iſtam Origeni abjudicare potiùs quàm adjudicare illum ferè non dubites. Quicquid ſit mentem ſuam clariùs aperit Theophilus Raynaudus qui librum iſtum Origenis non eſſe diſertè affirmare non veretur, *Commentari in Cantica*, inquit, *quorum initium eſt, EPITHALAMIVM LIBELLVS, non poſſunt eſſe Origenis, ſed ſunt Latini Autoris, qualem ſe Autor ipſe bis profitetur, agens de Logicâ in Philoſophiæ diviſione.* Autoribus quos ſequitur Dallæus opponit Vindiciarum Autor Iacobum Merlinum, Genebrardum, & doctiſſimum clariſſimúmque virum Petrum Danielem Huetium ultimum operum Græcorum Origenis Editorem, ad quem etiam nos amandat Vir alius eruditus; tribus his Origenis editoribus addit eruditus Pearſonius, Blondel-

Labb. de ſcript. Eccl. in Orig.

Raynaud in Erotē. pag. 151.

Coteler. in Epiſt. Ignat. pag. 441.

lum, Albertinum, imò quod mireris Dallæum ipſum, quaſi à ſe ipſo diſſentiret; ſed pace tanti viri dixerim, haud ſincerè agere videtur Dallæi reſpectu, Dallæus enim ex hypotheſi non ſuâ, ſed Halloixij adverſarij loquitur, ſeſe illius de hoc opuſculo opinioni accommodans, ſicque eum alloquens lib. 1. cap. 17. de libris ſuppoſitis Dionyſio Areopagitæ, *meritò Albertinus noſter judicavit* Dionyſium *tuum totum hunc locum à tuo Origene vel eſſe furatum, vel certè mutuo ſumpſiſſe*: Quivis videt hanc de quâ lis eſt lucubrationem Dallæo non magis probari quàm Pſeudo-Dionyſij ſcripta, *tuus*, ait *Dionyſius*, *tuus Origenes*, non meus, neque ſemel aut iterùm ita loquitur, ſed ſæpiſſimè pag. 108. 109. neque ferè aliter, tamen ſi virum doctum audimus, *Author expoſitionum in Canticum Canticorum, cum contra Dionyſium ſcribit Dallæus, Origenes eſt, & locum quem adduximus, in eodem Origene totus hactenus orbis æquo animo tulit: quare idem non eſt, quare contra totum orbem militat Dallæus, cùm adverſus Ignatium arma ſumit?* tota autem hæc Vindiciarum Autoris argumentatio, nullo alio nititur fundamento quàm iſtis Dallæi ex adverſarij hypoteſi loquentis verbis, *quod in Origene* (*quem pace tuâ Dionyſio tuo multò doctiorem fuiſſe*

Pearſ. c. 7 pag. 106. 107.

Pearſ. pag. 107.

virum puto) totus hactenus orbis æquo animo tulit, id in Dionyſio legi, noli ferre iniquius: eadem planè ratione probare poſſet eruditus Pearſonius Dionyſij ſcripta quæ exagitat Dallæus & tanquam ſpuria confodit, genuina illi eſſe ac legitima, quia hoc in loco *in Dionyſio* ſimpliciter dixit, æquè ac *in Origene*: Verùm ut nullus ſuperſit tergiverſandi locus, lucéque meridianâ clariùs appareat aliquid humani hîc paſſum eſſe doctiſſimum Vindiciarum Autorem, fortè præ nimio cauſæ ſtudio, deſcribenda nobis ſunt quædam Dallæi verba ex pag. 108. *Extant,* inquit, *quatuor quædam in Canticum Canticorum Homiliæ inter Origenis opera, quas pro vero Origenis fœtu tu tuíque Halloixij vulgò habetis. Tui certè ex iis adverſus nos teſtimonia Origenis nomine laudant, ut Copus, & Coccius; Ac ut cæteros mittam, tu quidem hoc opus Origeni non ſemel aſſeris. Nam & ex Homiliâ tertiâ locum deſcribis, ut demonſtres Origenem ſubita Eccleſiæ incrementa celebraſſe; Et paulò poſt tria ex eodem opere loca recitas, veluti veras Origenis ſententias; & apud multos controverſam Origenis de ſanctiſſimâ Trinitate Orthodoxiam tribus itidem ex ejus operis Prologo, & Homiliâ tertiâ petitis teſtimonijs confirmas, omnia abſurdè & ridiculè, niſi tu hunc ſcri-*

Dall. pag. 109.

Digitized by Google

ptorem pro vero Origene Adamantio, de quo quæritur, habeas. Non potuit diſertiùs teſtari præſtantiſſimus Dallæus, ſe commentarios in Cantica Origenis nomine prænotatos, pro verò illius fœtu minimè agnoſcere: De Albertino aliter ſe res habet, is quidem utitur horum Commentariorum Autoritate, ac ſi verè Origenis eſſent; ſed ita tamen ut eos interpolatos eſſe alibi non diffiteatur; Blondellus verò quædam ex hoc opere laudat in Apologiâ pro ſententiá Hieronymi ſect. 2. §. 13. ſed Origenis eſſe neque affirmat neque negat, ideóque inter approbatores non eſt numerandus, quoties enim contingit varia à ſcriptoribus laudari opuſcula ſub eorum nomine quibus vulgò aſcribi ſolent; quamvis illorum non eſſe probè norint.

Albert. de Euchar. l. 2. pag. 361.

XVI. Superſunt igitur Vindiciarum Autori tres operum Origenis Editores, Merlinus, Genebrardus, & Huetius; ſed neſcio cur Genebrardum in ſuffragatorum claſſe reponat Vir doctus, cùm ſatis ſupérque innuat Genebrardus ipſe in Collectaneis de Origenis vitâ & operibus, ſibi non perſuaſum eſſe opuſculum iſtud ab Origene exaratum fuiſſe, illiúſque germanum eſſe fœtum: poſtquam enim duas in Canticum Canticorum Homilias quas vertit Hieronymus, commemoravit, & integram ad

Damaſum

Damaſum Papam præfatiunculam quæ in fronte earum præfixa eſt, tranſcripſit, hæc habet, *fertur & aliud ſub nomine Origenis pium, eruditum, ac diſertum opus, vel potiùs operis fragmentum: in quo duo prima Canticorum capita eloquentiſsimè ac doctiſsimè explicantur. Hoc in vetuſtis quibuſdam codicibus erat nomine Hieronymi prænotatum. Diviſit neſcio quis illud in quatuor Homilias, cùm Homiliæ non ſint, ſed continens ac perpetua explanatio.* Non ita loqui ſolemus de veris ac germanis Scriptorum operibus, ſed de ijs ſolùm quæ illorum nomine circumferuntur; Cùm igitur plures ſint qui hoc opus improbent, quàm qui probent, nec illi autoritate ſint iſtis inferiores, ſi fortè non ſuperiores, quin improbantium ſit præferenda ſententia nemo ambigere poteſt, præſertim ſi ſequentes perpendantur obſervationes, 1. in vetuſtis quibuſdam codicibus iſti Commentarij erant nomine Hieronymi prænotati; quia pro germano ac genuino Origenis fœtu dubio procul non habebantur: 2. ſcribit Hieronymus in Prologo interpretationis Homiliarum duarum in Canticum, Origenem in decem quos in Canticum Canticorum elaboravit Tomis ſeptuaginta Interpretes, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, & Quintam Edi-

M

tionem magnificè apertéque diſſeruiſſe; quod cùm in iſtis quos tractamus Commentarijs non appareat, hinc conſequitur Opus eſſe à decem illis Tomis diverſum; Huic objectioni ſe ſatis feciſſe putat clariſſimus Huetius, ſi omnem culpam rejiciat in Rufinum Interpretem, *cui*, inquit, *cùm ſolenne ſit pervertere omnia, & ad libitum recoquere, adeò ut Tomos Origenis in Epiſtolam ad Romanos ad mediam partem coarctaverit, quis ullam ab eo fidem expectet?* Fateor Rufinum pleráque quæ vertebat opuſcula immutare ac interpolare ſolitum eſſe, ſed propterea veriſimile non eſt Rufinum, iſtum ut ita dicam peculiarem Origenis characterem, afferre videlicet & diſſerere varias Interpretum Græcorum Editiones, à legitimo Origeniano opuſculo auferre voluiſſe, imprimis poſt Hieronymi admonitionem; prætereà non liquidò conſtat Rufinum hujus Operis Interpretem eſſe, nec tanti mihi videntur doctiſſimi ad id probandum Huetij rationes, ut nos in aſſenſum trahant; Hieronymus, ait, non fuit Commentariorum iſtorum Interpres, eſto, ergo Rufino adſcribenda eſt hæc interpretatio, negatur conſequentia; ſed Gennadius, inquit, in Catalogo Virorum illuſtrium ſignificare videtur, quæcunque Origenis opera Hie-

Origen. lib. 3. pag. 249

ronymum interpretem non habent, ad Rufinum eſſe referenda; pace tuâ Vir clariſſimè non hoc ſignificare videtur Gennadius, hoc tantùm dicit Rufinum videlicet non omnia Origenis opuſcula interpretatum eſſe, ſed Hieronymum aliquanta etiam tranſtuliſſe, quæ ſuis diſcerni amant Prologis: *Origenis autem* (inquit) *non omnia: quia & Hieronymus tranſtulit aliquanta, quæ ſuo Prologo diſcernuntur*: Et ut Rufini tranſlationes ab aliorum interpretationibus certiſſimè & facilimè diſcernere valeamus, aſſerit interpretationibus ſuis Prologos Rufinum præfigere ſolere, cùm autem Prologus huic libro ab Interprete appoſitus non fuerit hinc conſequitur interpretationem iſtam Rufino non eſſe adſcribendam, ecce Gennadij verba de Rufini tranſlationibus in genere agentis. *Horum omnium quæcumque præmiſſis Prologis à Latinis leguntur, à Rufino interpretata ſunt: quæ autem ſine Prologo; ab alio tranſlata ſunt, qui Prologum facere noluit.* Multi inquit clariſſimus Huetius è Rufini Prologis interciderunt, verum donec probaverit Prologum decem Tomis in Cantica præfixum intercidiſſe, non ſatisfaciet Viri doctiſſimi reſponſio: rationes ex ſtylo ductæ, necnon ex quibuſdam vocibus barbaris Rufino uſitatiſſimis, nimiùm leves

Gennad. in Rufino

ſunt, nec ſatis habent ponderis ut id evincant; de ſtylo enim rectê judicari non poteſt, niſi poſt longam diſquiſitionē, & accuratam cum Rufini ſcriptis contentionem; voces autem illæ barbaræ ei uſitatæ, alijs ejuſdem ætatis ſcriptoribus æquè familiares eſſe poterant. 3. docet nos Euſebius & poſt eum Hieronymus Origenem decem libros ceu Tomos in Canticum Canticorum elaboraſſe, & hi Commentarij integrum Cantici Canticorum librum complectebantur, ut liquet ex Euſebij verbis Hiſt. lib. 6. c. 32. *Cùm Athenis*, inquit, *moraretur, inchoavit expoſitionem in Canticum Canticorum, quam ad quintum uſque librum ibidem agens produxit. Deinde Cæſaream reverſus, opus illud decem omninò libris comprehenſum ad exitum perduxit.* Homiliæ autem ſeu potiùs Commentarij quos nunc habemus opus illud ab Hieronymo tantopere laudatum eſſe non poſſunt; illius præclari operis partem eſſe aſſerunt Viri illi eruditi quibuſcum nobis res eſt, cætera perijſſe affirmant, ſed vereor ne ex præjudicata opinione id dicant, cùm nullam jacturæ iſtiùs certiſſimam habeant cognitionem; non me latet plura intercidiſſe Adamantij opera, è quorum numero fuit expoſitio in Canticum Canticorum decem libris comprehenſa; imò

inquiunt pars illius explanationis temporum injuriæ ſubducta eſt, reliqua ab interitu vindicari nondum potuerunt; Ejus autem quæ ſupereſt ſcriptorem eſse Origenem deprehendi volunt ex ſtylo, ex allegoricis & tropologicis expoſitionibus, in quas ab hiſtoricis excurrit, & ex ſententijs earum conſimilibus & germanis, quæ in duabus Homilijs ab Hieronymo converſis occurrunt. Alteriùs ſtylum imitari difficilimum eſſe non diffiteor, præſertim in longo ac prolixo opere, ſed an ſit minus difficile de ſtylo Auctoris Græci, ex Latini interpretis verſione pronuntiare, penes alios eſto judicium, ego certè æque difficilimum puto,& fortè aliquanto plus; Expoſitiones verò allegoricas & tropologicas non unus ſectatus eſt Origenes,&ættereà qui Origenis nomen in iſtis Commentarijs mentitus eſt, tropologicis uſus eſt expoſitionibus, ſive proprij ingenij viribus, ſive ex germanis Adamantij operibus depromptis, ut audax occuleret facinus, & merces ſuas ſub Origenis nomine cariùs venderet; in eundem finem ſententias earum conſimiles & germanas, quæ in duabus Homilijs ab Hieronymo converſis occurrunt, ſibi adoptavit, ſeu veriùs illinc deſcriptas huic inſeruit operi, ut lectori fucum faceret, ea-

dem permotus ratione ſegmentum ex ſecundo Tomo Commentariorum in Canticum Canticorum decerptum, quod Græcè etiamnum ad finem Philocaliæ extat, in ſecundâ hujus Operis Homiliâ aſſutum habemus; quamvis Græcis non planè reſpondeant Latina, quicquid dicat eruditus Pearſonius pag. 111. & hinc augetur fraudis ſuſpicio: Ex verbis autem Caſſiodori quæ ibidem àdfert nihil certi colligi poteſt, obſcura enim ſunt ut fatetur Vir doctus, ac proinde ad ejus hypotheſim ſtabiliendam nequaquam idonea. Denique tandē confitentur Viri docti qui hoc opus Origenis eſſe contendunt, variè ab interprete interpolatum & immutatum fuiſſe, quomodo igitur ex eo certò intelligi poteſt, quid verè ſit Origenicum; nam Origenica ab ijs quæ Interpretis ſunt diſcernere ac ſeparare non eſt facile.

XVII. *Pearſ. pag.* 112. Secundum Origenis teſtimonium deſumptum eſt ex Homiliâ ſextâ in Lucam: Vindiciarum Autor ſtatim obſervat Dallæum ad primum Origenis teſtimonium refellendum uſum eſſe autoritate Eraſmi; non ſolius Eraſmi autoritate uſus eſt doctiſſimus Dallæus, ſed etiam aliorum: quamvis Eraſmus inſtar multorum eſſe poſſet, tantùm abeſt ut mirari debeat Lector effrænem illius in Veterum expen-

Digitized by Google

dendis ſcriptis, & projectam temeritatem, ut ait Vir quidam clariſſimus, qui fortè ſibi conſuluiſſet, ſi cum Eraſino de litteris & litteratis omnibus optimè merito parciùs ac modeſtius egiſſet; pergit eruditus Pearſonius ſcribítque eundem Dallæum ad ſecundum Origenis teſtimonium elevandum ſuo Marte non minùs infœliciter progredi: non malè ſe habebunt res Dallæanæ, ſi ſecundum iſtud refellat argumentum æquè fœliciter ac primum; Vt hoc aggrediatur Dallæus obſervat primùm totum illud Homiliarum in Lucam opus Latinorum natalium indicijs ſcatere, quod probat varijs in medium prolatis quæ ex iſtis Homilijs deſcripſit locis; quibus omnibus reſpondet Pearſonius hæc eſſe Interpretis additamenta, ut quoties opus erat, Verſionis ſuæ rationem redderet; facilis reſponſio, ſi ſolida eſſet: nam quomodo quæſo vera ac genuina à falſis & ſpurijs ſecernere poterimus, in ſcriptorum Græcorum operibus, quorum Verſiones Latinas tantùm habemus; Nonne Adverſarius ad diſtinctionem illam Viri docti confugiet, tanquam ad ſacram Anchoram? quoties exceptionibus earum conſimilibus urgebitur, quibus utitur celeberrimus Dallæus; hæc ſunt inquiet Interpretis, non autem

Dall. 439.440

Auctoris: quid eſt nodos ſecare quos ſolvere non potes, ſi hoc non eſt? Si tanto pollet acumine Vir doctus ut Interpretis verba à verbis ſcriptoris certò ſeparare queat, gaudeant benè nati, nobis non licet eſſe tam beatis. Secundò Dallæus ſcribit ab ipſo Origenis genio, more, ac ſenſu quædam eſſe in eodem opere aliena, quorum aliquot profert exempla, è quibus unicum expendemus ut planè innoteſcat Homilias in Lucam non eſſe germanum Origenis fœtum; Homiliâ 39. Scriptor quiſquis ſit Eſaiam & Pſalmos litteraliter â Sadducæis intellectos eſſe ait. Nam cùm quædam ex utróque libro attuliſſet, quæ ſpiritaliter eſſe accipienda definit; *Quæ omnia* (inquit) *corporaliter intelligentibus Sadducæis, qui erant portio Iudæorum, dicit Salvator; Neſcitis Scripturas, neque virtutem Dei.* Id verò à genuinis Origenis opuſculis alienum eſſe patet, cùm à Sadducæis non alios quàm Moſis libros ex toto veteri inſtrumento admiſſos conſtanter ſcribat; *ſolos Moſis libros* (ait) *recipiunt Samaritæ & Sadducæi*, lib. 1. contr. Celſ. p. 38. ultimæ editionis; & Tract. 22. in Matth. *Sadducæi ſcripturas alias extra libros Moſaïcos non legebant, nec ipſos libros Moſaïcos legentes intelligebant*; Ita vetus Interpres Latinus; Græca aliter

ſe

ſe habent, *Sadducæi aliam Scripturam à Legali non admittunt*, & paucis interjectis, *Sadducæi Scripturas quæ Legem ſequuntur non admittunt*; Hinc patet ut id obiter obſervem quanti ſit laboris, & quantæ induſtriæ Interpretum additamenta & interpolationes ab ipſorum Scriptorum verbis ſeparare. Vt ut eſt ſi verè Origenes eſſet qui in Lucam ſcripſit, de Sadducæis non aliter loquutum par eſt credere; ſed ſi Vindiciarum Auctorem audimus, Scriptor Homiliæ 39. in Lucam non affirmat Sadducæos Prophetas in Canonem Scripturarum recepiſſe. Hoc tantùm dicit, Sadducæos malè intellexiſse Prophetas; potuerunt autem (ait) & intelligere, & etiam malè, ea quæ pro ſacris Scripturis non habuêre. Miſerum profectò Viri docti effugium; Homiliarum Auctor Sadducæos reprehendit quòd litteraliter & corporaliter Eſaïam & Pſalmos intelligerent: cur quæſo reprehendebat ſi Prophetas pro ſacris Scripturis non habuiſſent? Vel ſaltem cur de eo lectores non monebat? Eſt-ne veriſimile hanc Iudæorum portionem ab eo notatam ac perſtrictam fuiſse? Niſi illi perſuaſum fuiſset Sadducæos, Prophetas in Canonem Scripturarum recepiſse, nullaque alia idonea ratio excogitari poteſt iſtius

Pearſ. pag. 115. 116.

N

in Sadducæos cenſuræ. Pergit eruditus Pearſonius & dicit Sadducæos non admittere quidem ſacras Scripturas extra libros Moſaïcos, *ſcilicet*, inquit, *in controverſiis fidei determinandis*: Mirum gloſſema, ſi ex præconceptâ opinione non proficiſceretur, tuetur hoc ſuum gloſſema Vir doctus Rabbinorum & Talmudiſtarum Autoritate, quorum illi multas afferunt Sadducæorum in alias extra libros Moſaïcos Scripturas interpretationes, iſti verò diſputationes ſæpè referunt, in quibus Sadducæi & Samaritæ reſpondent ad loca ex Prophetis & Hagiographis adducta: Quaſi vaniſſimorum illorum hominum ſomnia ἀντιλογίαν quæ eſt inter verum Origenem, & Homiliarum in Lucam Auctorem tollere poſſent, tantámque dirimere litem. Tertiò reſpondet Pearſonius Origenem hæc ad populum ſcripſiſſe, dum adhuc juvenis erat, & tunc fortaſsè, ait, non notaverat, aut certè non neceſſe habuit ſententiam Sadducæorum peculiarem notare; At ego contra aſſero Origenem ea ſcribere debuiſſe quæ illum à contradictione poſſent præſtare immunem, quod cùm non fecerit, concludendum eſt Homiliarum Auctorem à vero Origene eſſe diverſum: Nec eſt quod Vir doctus Origenis

juventutem memoret : Nam Deo dante oſtendemus inferiùs nullas Origenis Homilias ante provectam illius ætatem conſcriptas fuiſſe. Ridet eruditus Vindiciarum Auctor hanc ultimam Dallæi obſervationem, *Origenis quæ Latinè tantùm extant à Ruffino & aliis interpretibus ita fuiſſe interpolata, ut ex iis vix poßit certò intelligi, quid verè ſit Origenicum* : Pearſonius videlicet ferre non poteſt hæc dici de Hieronymi interpretatione, queritur tamen Ruffinus ejus Æmulus in Invectivâ ſuâ adverſus Hieronymum lib. 2. p. 153. plura in his ipſis Homilijs ab Hieronymo fuisse ſubtracta, quædam mutata, quædam addita. Nec mirari debet Ignatianorum vindex Dallæum iſtarum Homiliarum auctoritatem in dubium vocaſse & hoc opus Origeni abjudicaſse : Eraſmus ſcripſerat ad Franciſcum Cigalinum has Homilias alteriùs cujuſdam eſse videri quàm Origenis, nec poſteà ita ſententiam mutavit, quin híc multa vel ſuſpecta vel damnata agnoſcat, quod Huetio diſplicet, Merlinus verò Operum Origenis editor errores his Homilijs ab Origeniani nominis Æmulis aſperſos aſseverat, quanquam & id valdè incertum putet idem Huetius : Merlino Editori alium Editorem jungam, Genebrardum videlicet qui in Collect. de vi-

Dall. pag. 440

Pearſ. pag. 119.

Apud Huet. l. 3. Origen. pag. 253.

tâ Origenis ſcribit Hieronymum has Homilias excuſare tanquam ab Origene admodùm juvene enatas, quoniam parùm elaboratæ ſunt, & nonnullis etiam damnatis erroribus inſperſæ. Labbeus Ieſuita Origenis opera recenſens de Script. Eccl. hæc habet de Homilijs iſtis p.144. Tom.2. *Homiliæ 39. in Evangelium S. Lucæ, cum Prologo S. Hieronymi interpretis, qui ab admodùm juvene ſcriptas aſſerit. NON DESVNT QVI AMBIGANT,*

XVIII. *Pearſ. pag. 117.* Firmiora tamen pro Origene Argumenta & pro Interprete Hieronymo adverſus Latinum Authorem ſibi ſuppetere aſſerit Vindiciarum Auctor, & ne vanum putes promiſſorem, en tibi quæ ei ſuppetunt argumenta; S. Hieronymus in Catalogo inter Opera à ſe edita, *in Lucam Homilias triginta novem* recitat; Homilias autem ipſe nunquam ſcripſit. In Prologo ad Paulam & Euſtochium oſtendit ſe eas ex Origene tranſtuliſſe; Hunc Hieronymi Prologum totum in ſuam Invectivam tranſcripſit Ruffinus, ſatis ſeverè exagitavit, & quid in hoc Opere infidè tranſtulerit oſtendit aut innuit: Hæc ſunt firmiora Viri docti argumenta, ſed fortè minùs firma apparebunt, cùm ea ſingillatim expenderimus; age igitur incipiamus ab eo quod Hieronymus in Catalogo inter Ope-

ta à ſe edita, *in Lucam Homilias triginta novem* recitat; In duabus Hieronymi editionibus quas conſului, alterâ anni M. D. XXV. ab Eraſmo procuratâ, alterâ verò à Mariano Victorio ann. M. DC. XXIV. Græcus numerus diſſidet à Latino, in Latino quippè ſunt *triginta novem Homiliæ*, in Græco *viginti novem*, Sophronius autem Græcus Catalogi Interpres, Hieronymi familiaris, ignorare non potuit Opera ab Hieronymo ſive edita ſive in Latinum converſa, tamen cùm in Græco Sophronij diſſideat numerus à Latino, nec aliundè quàm ex Catalogo ſciri poſſit Homiliarum numerus (omiſſus eſt ſiquidem in Prologo Homilijs prætexto) nihil certi de Homiliarum in Lucam numero affirmari poteſt; Iam verò ſi viginti novem tantùm juxta Sophronij ſupputationem numerantur, fieri poteſt ut ſexta ex quâ argumentantur Ignatianorum patroni in ijs non comprehendatur, hoc primum. Secundò Hieronymus ita loquitur in Catalogo ut vix capias num ipſe Homilias ediderit aut ſcripſerit, vel tranſtulerit modò; *Homilias*, inquit Pearſonius, *ipſe nunquam ſcripſit*, unde hæc habes, probatione egent quæ dicis; *In Prologo ad Paulam & Euſtochium oſtendit ſe eas ex Origene tranſtuliſſe.* Hinc non conſequi-

tur nullas ſcripſiſſe Homilias Hierony mum, hoc ſolum colligitur Hieronymun quaſdã Origenis in Lucam Homilias à ſ(in Latinum converſas aſſerere, quod non diffiteor, neque quæ de Ruffino obſervat Vir doctus ut Prologum & Homiliarum tranſlationẽ Hieronymo adſcribat. Vnum illum rogo; nùm videlicet Hieronymus tractatus illos ſeptem in Pſalmos quorum meminit in eodem Catalogo poſt Homilias in Lucam, nùm, inquam, tractatus illos tranſtulerit modò, aut ſcripſerit; Ex hypotheſi Viri docti ſcribere non potuit, quia Homilias nunquam ſcripſit, Tractatus autem Latinis, ut optimè novit, idem ſunt quod Græcis Homiliæ, ideóque Sophronius vertit *Homilias ſeptem*; Ergo Tractatus ſeptem in Pſalmos à decimo uſque ad decimum ſextum tranſtuliſſe Hieronymum dicendum eſt; quæ cùm ita ſint fruſtrà ſcribit eruditus Pearſonius pag. 118. ad majorem argumenti ſui confirmationem addi poſſe ex Ruffini Præfatione ad libros de Principijs, Hieronymum *ultrà 70. libellos Origenis quos Homileticos appellavit tranſtuliſſe in Latinum*, quod de 70. fatetur Hieronymus Apologiâ primâ p. 492. G. cum 491. F; Vtrúmque verùm eſſe agnoſco, ſed Vindiciarum Auctori nocere magis quàm favere per-

Digitized by Google

tendo; quod ſic probo, Hieronymus fatetur ſe ſeptuaginta libellos Origenis Homileticos in Latinum vertiſſe, Ruffinus ultrà 70. illum progreſſum eſſe ſcribit; Atqui juxta Viri docti ſupputationem *ultrà libellos 70.* ab Hieronymo verſos invenies, ſi triginta novem Homilias in Lucam annumeres, ſepoſitis ſeptem in Pſalmos Tractatibus ſeu Homilijs quarum meminit in Catalogo; Ergo ſi triginta novem ſunt in Lucam Homiliæ ut contendit eruditus Pearſonius, non ultrà libellos 70. Origenis Homileticos tranſtulerit tantùm Hieronymus, ſed ultrà 80. quod Ruffini & ipſius Hieronymi verbis contrarium eſt; Hieronymus enim ſeptuaginta à ſe converſos fatetur, Ruffinus ultrà ſeptuaginta illum tranſtuliſſe affirmat; ut hunc reperiat numerum Vir doctus, 14. Homilias in Ieremiam numerat, totidem in Ezechielem, novem in Eſaïam, duas in Canticum Canticorum, triginta novem in Lucam, quas omnes ſi putas & in unum colligis, habebis numerum 78. & ſi addis ſeptem in Pſalmos Homilias, conſurget numerus 85. qui cum numero Ruffiniano conſiſtere nequit: Tamen quoniam ambigi non poteſt quin Ruffino notiores fuerint Hieronymi tranſlationes quàm nobis, ita numerandi ſunt libelli

Digitized by Google

Origenis Homiletici quos vertit Hieronymus, ut numero à Ruffino deſignato planè reſpondeant, reſponderi autem non poſſunt, niſi Catalogum Latinum Hieronymi, ex Græcis Sophronij corrigas, numerando ſcilicet viginti novem Homilias in Lucam, non triginta novem, ſic enim erunt 75. libelli Homiletici ab Hieronymo converſi, ut deſiderant Ruffini verba; rejiciet forſan hanc correctionem Vir doctus quia illius cauſæ non patrocinatur; Intereà dùm meliorem adferat, huic hærebimus, & argumentum pro Ignatianis ex ſextâ Homiliâ depromptum à nobis magis ac magis incertum habebitur. Aliquid ampliùs addam, nempè Euſebij auctoritate me admodùm moveri ut credam Hieronymum deceptum fuiſſe, & pro genuino Origenis fœtu Homilias in Lucam habuiſſe; cùm à vero non abhorreat Homilias illas juvenis cujuſdam fuiſſe tyrocinium: Et ſanè Hieronymus in Præfatione Homilijs præfixa docet Origenem in his tractatibus quaſi talis ludere, cùm *alia ſint virilia ejus, & ſenectutis ſeriâ*, quæ Hieronymi verba ita explicant Genebrardus, Labbeus, Pearſonius ipſe, & alii, ut Origenem hoc opus admodùm juvenem elaboraſſe affirmare non dubitent, quod verò Origeni competere non poteſt;

poteſt; Vindiciarum tamen Auctor Dallæum reprehendit, quod Homilias iſtas annis circiter centum & quadraginta poſt ultimum Ignatij certamen ſcriptas eſſe conjiciebat, contendítque Homilias illas ſcripſiſſe Origenem juvenem adhuc, & ante ætatem virilem, ſeſéque tuetur Hieronymi verbis nunc allatis; ex quibus concludit ſub initio Caracallæ Origenem adhuc puerum ſeu adoleſcentem, ſcripſiſſe Homilias in S. Lucam; ſed profectò fallitur Vir doctus; initio Imperij Antonini Caracallæ qui regnare cœpit anno Domini 212. poſt Ignatij Martyrium 105. Origenes annum ætatis circiter vigeſimum ſextum attigerat, Alexandriam non penitùs dereliquit ante decimum Alexandri ſeveri annum, hoc eſt ante annum Chriſti 234. ætatis ſuæ 46. vel 47. nullas autem Homilias adhuc ſcripſiſſe conſtat ex lib. 6. Hiſt. Euſebij cap. 24. ibi enim enumerat opera omnia quæ Alexandriæ elaboraverat, nullâ prorsùs iſtarum Homiliarum mentione factâ; Et cap. 32. ejuſdem libri idem Euſebius memorat Origenis lucubrationes Cæſareæ in Palæſtinâ ſcriptas, & quas Athenis compoſuerat; Homiliarum autem non meminit: Hæc omnia ſi conferas cum capitibus 3. 15. 16. 23. in eâ magis confirmaberis opi-

nione, ante ætatem virilem Homilias non ſcripſiſſe Origenem, & ſi hæret adhuc tibi aliquis hac de re ſcrupulus, animo facilè eximetur, poſtquam audieris ſexagenario majorem eſſe Origenem, dum ſuas Homilias ſcribi paſſus eſt, quod à Viris doctis animadverſum quidem non autem accuratè perpenſum, nec exactè ponderatum, mirari ſatis nequeo, cùm tamen id diſertè teſtetur Euſebius; cui uni in rebus Origenis plus credendum exiſtimo, quàm pluribus Hieronymis vel Ruffinis. Et eò magis quod rem ita narrat, ut Ignatianorum fautoribus non parùm noceat, *Cùm fides noſtra*, inquit, *ut par erat, augeretur in dies, & doctrina Chriſtianorum ſummâ ubique libertate frueretur, Origenes jam ſexagenario major: ut potè qui ex diuturnâ exercitatione maximum dicendi uſum ſibi comparaſſet, CONCIONES QVAS HABEBAT AD POPVLVM, à Notariis excipi permiſit, cùm id antea fieri nunquàm conceßiſſet.* τὰς ἐπὶ τοῦ κοινοῦ λεγομένας αὐτῷ διαλέξεις, ita Latinè reddidit Vir Clariſſimus Henricus Valeſius linguæ Græcæ callentiſſimus, *conciones quas habebat ad populum*, conciones id eſt Homilias: Heſychius, διάλεξις ὁμιλία. Ad hæc tempora reſpiciebat Pamphilus martyr in lib. 1. Apologiæ pro Origene, his verbis. *Quodque puræ religionis*

Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 6. cap. 36. edit. Valeſij.

obſervaverit diſciplinam, & præ cæteris verbo Dei, & doctrinæ operam dederit, dubium non eſt ex his quæ ad nos laboris & ſtudij ejus certiſſima deſignantur indicia: præcipuè verò per eos tractatus quos pœnè quotidie in Eccleſiâ habebat ex tempore: quos & deſcribentes notarij ad monimentum poſteritatis tradebant. Pro Homilijs tractatus dicit Ruffinus interpres, quod idem eſt: Nam Latini vocare ſolent tractatus, quas Græci dicunt Homilias; nec mirum ſi Origenes jam ætate prouectus populum pœnè quotidie ex ſuggeſtu alloquebatur, cùm ex diuturnâ exercitatione, ut nos docuit Euſebius, maximum dicendi uſum ſibi comparaſſet.

Ex his omnibus conſequitur Dallæum immeritò à Viro docto fuiſſe notatum, cùm nullas ſcripſerit Origenes Homilias ante ſexageſimum primum ætatis ſuæ annum, nempè 140. annos poſt Ignatij Martyrium ut conjecerat celeberrimus Dallæus. Conſequitur ſecundò Hieronymo impoſuiſſe Homiliarum in Lucam codicem Origenis nomine prænotatum, & certè veriſimile eſt falſo codicis titulo deluſum fuiſſe Hieronymum, tamen quoniam in illis Homilijs eximias illas ingenij Origeniani dotes non animadvertebat, quæ in germanis Origenis ſcriptis micare XIX.

ſolent, ab eo admodùm juvene ſcriptas falsò putavit; Nam ſexagenario major erat Origenes cùm Homilias ſuas ſeu conciones quas habebat ad populum à Notarijs excipi permiſit, quod anteà fieri nunquàm conceſſerat. Errantem Hieronymum ſecutus eſt Ruffinus, eò magis quòd illum ſugillandi occaſionem tantùm quærebat; cùm autem eam in Homiliarum iſtarum Latinâ Tranſlatione nactus eſſet, ſoli codicis titulo adhæſit, nec ampliùs ſcire laboravit nùm verè Origenis eſſent, quod ex illarum comparatione cum genuinis illius Operibus dignoſci poterat, & prætereà ex verbis Euſebij ſuprà allatis. Vnum addam notatu ut mihi quidem videtur digniſſimum, Euſebium videlicet non omiſſurum fuiſſe Origenis pro Ignatianis teſtimonium, ſi eorum alicubi mentionem feciſſet; ſi enim laciniæ Polycarpi Epiſtolæ alienâ manu aſſutæ non oblitus eſt, nec Ignatij ſententiæ ab Irenæo memoratæ; cur quæſo prætermiſiſſet duo Origenis loca à Vindiciarum Auctore in gratiam Epiſtolarum Ignatianarum adducta? Origenem magni faciebat Euſebius, ejúſque nomini ita addictus & nuncupatus erat, ut Gelaſij Synodique Romanæ cenſurâ ea propter perſtringi metuerit: Eſtne igitur credibile tantum Ori-

genis admiratorem ſummúmque laudatorem, illius obliturum eſſe teſtimonia, ſi aliquot in germanis Adamantij ſcriptis Ignatij Epiſtolis patrocinantia extitiſſent? Nequaquam; imò potiùs ea accuratè deſcripſiſſet vel ſaltem indicaſſet, ut Ignatianis ſuis Epiſtolis omnimodam conciliaret autoritatem; Nihil tale fecit, quod mihi valido eſt argumento nulla ſuâ ætate extitiſſe in genuinis Origenis lucubrationibus quæ Euſebio notiſſimæ erant. Vana fuit ergo eruditi Pearſonij ſpes, dum ſperavit forè ut Lectori perſuaderet *Ignatium ab Origene citatum fuiſſe*, & Origenem *has illius Epiſtolas agnoviſſe*: nec minus vana ſunt quæ toties tam confidenter de totius ſecum ab omni ævo antiquitatis in ſuſpiciendis ac reverendis Ignatianis ſuis conſenſu paſſim jactat atque gloriatur: Ex primâ ſiquidem, & Ignatij proximâ, adeóque ſolâ de eo teſtari idoneâ antiquitate, quæ à Martyris certamine per ducentos annos ad quarti ſæculi annum circiter triceſimum decurrit, ne unum quidem certum ac indubitatum, & omni exceptione majorem habet teſtem, qui has Epiſtolas ſibi notas fuiſſe, vel ſe de illis, fando aliquid audiviſſe perhibeat: Ex omni enim antiquitate primus occurrit Euſebius quarti ſæculi ſcriptor, qui in Hiſto-

riâ ſuâ Eccleſiaſticâ, quàm poſtremis vitæ temporibus ſcripſit, luculentum *de Ignatianis Epiſtolis* perhibet teſtimonium; cùm ante illum nemo aliqua Ignatiana, certò ac indubitatò norit, ſed in ſcriptorum Eccleſiaſticorum Euſebio vetuſtiorum opuſculis germanis ac genuinis de illis altiſſimum ſit ſilentium: Leo Allatius Gente Græcus, ſed mente & religione Latinus Ignatianas Epiſtolas ſuppoſititias ſuſpicabatur, antequam eas vidiſſet quas ex antiquiſſimo Bibliothecæ Florentinæ Codice deſcripſit clariſſimus Voſſius, *ut ingenuè fatear*, inquit, *Auctor Epiſtolarum quæ ſub Ignatij nomine ſæpiùs typis editæ vulgò proſtant, ſemper aliàs dubius, nunc demum ſuſpicionem adauget. Eſt enim, pro ea ætate; prolixior & rebus enodandis exactior verboſiórque, quamvis ſimplex, pius, & ut illa ferebant tempora, æquè ac alij Apoſtoli, Chriſtum ſpiret.* At ubi eruditiſſimus Voſſius Florentinarum Epiſtolarum Allatio copiam fecit, ſententiam aliquo modo mutavit, ſed ita tamen ut ſibi hærere adhuc aliquem ſcrupulum innuat; *Vidi* (inquit) *apud Iſaacum Voßium juvenem eruditum, & rerum antiquarum ſtudioſißimum, cùm Romæ commoraretur, Ignatij Epiſtolas ex antiquißimo Bibliothecæ Florentinæ Codice deſcriptas, quas etiam mihi humanißimè*

De Domin. & Hebdom. Græc. p. 1407.

Id. Ibid.

communicavit, verbis ab editis longè diverſas, ſententiis ut plurimum ſimiles, breviores tamen, ſuccinctiores, efficaciores: ut planè Ignatij ævum referant; adeò ut eas genuinas eſſe Ignatij diceres: quæ præ omnium manibus ſunt, earum paraphraſin. Quis unquam ſic loquutus eſt de veris ac indubitatis Eccleſiaſticæ antiquitatis ſcriptis? Si Allatio erat omninò perſuaſum, has Epiſtolas germanum eſſe Ignatij fœtum, cur id rotundè non pronuntiat? cur ambiguè loquitur? certè animi pendere illum, & in dubio eſſe ejus animum non diffitebitur, qui hæc illius verba attentè perpenderit: *eas genuinas eſſe Ignatij diceres.* Vt ut eſt cùm eruditus Vindiciarum Auctor nullum ante Euſebium qui de his Epiſtolis teſtatus ſit, certum ac indubitatum adducat teſtem, nemo non videt Virum doctum ſuâ falſum eſſe opinione, dum ſcripſit cap. 2. pag. 3. *nullum ſæculum pro S. Ignatij Epiſtolis ſuis teſtimoniis carere, à ſecundo quo primum natæ, ad Decimum quintum, quo primum impreſſæ ſunt:* Vanâ ſpe ſe lactavit Pearſonius nec votis ſuis reſponderunt induſtriæ ſuæ conatus, attulit quidem è tribus primis Centurijs teſtes, ſed non exceptione majores; Eorum enim teſtimonia vel ex ijs deprompta ſunt opuſculis, quæ dubia ſunt, incerta & nul-

lius planè fidei, ut Polycarpi & Origenis teſtimonia, vel ad Ignatianas Epiſtolas minimè ſpectant velut teſtimonium Irenæi; Deficientibus ergo Viro docto argumentis pro S. Ignatio è Veterum teſtimonijs petitis, ad interna ex ipſis Epiſtolis deſumpta confugiat neceſſe eſt; præcipua ex internis perinde ac ex externis ſeligemus & expendemus; ſed antequam ad illud examen accedamus, quædam animadverſione digna mihi videntur in argumenti negativi refutatione quam per totum decimum caput primæ partis, quod eſt prolixiſſimum fusè exſequitur; non argumentia negantis vim uſquequáque rejiciendo, ſed illud in Ignatianis locum habere non poſſe pertendendo.

XX. Dallæus adverſus Ignatiana ex Veterum ſilentio Argumentatus erat cap. 5. 6. 7. 8. 9. Eruditus Pearſonius de vi argumenti à teſtimonio Negativi, ſive à ſilentio Scriptorum petiti non diſputat, ingenuè fatetur aliquod hujuſmodi aliquando etiam de ſuppoſitione alicujus ſcripti valere, ultrà progreditur, & libenter non tantùm concedit, ſed & contendit tali Argumento nixum nonnunquam Euſebium ipſum, aliquorum librorum Autoritatem reſpuiſſe; Verùm affirmare non dubitat cauſam quam tuetur ejuſmodi eſſe, ut in

Pearſ. cap. 10. pag. 149.

ut in eâ ritè adhiberi minimè poſſit, quia nimirum datur argumentum à teſtimonio affirmativum, quod negativo planè contrarium aſſerit & evincit. Si res ita ſe haberet, ut ait Vir doctus, ei libenter concederem Argumentum affirmativum, negativo eſſe præferendum; ſed cùm nullum ex tribus primis ſæculis verum ac firmum adduxerit teſtimonium, ut liquidò conſtat ex ijs quæ huc uſque ſcripſimus, optimè procedit Clariſſimi Dallæi à veterum Scriptorum qui per illa tempora floruerunt ſilentio, petita Argumentatio: Duo tantùm Dallæi Argumenta à ſilentio ducta in medium proferam, & à Viri docti exceptionibus vindicabo; primum quod examinandum ſuſcipio, petitum eſt à ſilentio vetuſtiſſimi cujuſdam Scriptoris cujus meminit Euſebius, & quem Caium Victoris Epiſcopi Romani æqualem, vel certè ſupparem, Eruditi ex Photio ſuſpicantur. Is enim adverſus Artemonis Chriſtum merum nudúmque hominem delirantis hæreſim diſputans, ejúſque novitatem demonſtrare ſtudens, hæreticis illis qui ſuam impiam de Chriſto ſententiam vetuſtiſſimam eſſe gloriabantur, eámque Zephirini Victoris ſucceſſoris tempore inverti apud noſtros, & mutari cœpiſſe dicebant, is inquam antiquus Auctor Arte- *Id.p.150.*

P

monicæ hæreſeos ſectatoribus hoc pacto occurrit, *fortaſſe id quod dicunt, credibile videretur, niſi eis refragarentur primùm quidem divinæ ſcripturæ, deinde fratrum quorundam ſcripta, Victoris ætate antiquiora, quæ illi adverſus Gentes, & contra ſui temporis hæreticos pro veritatis defenſione ſcripſerunt Iuſtinum intelligo & Miltiadem, & Tatianum, & Clementem, alióſque quamplurimos; in quorum omnium libris Chriſti divinitas adſtruitur. Nam Irenæi quidem & Melitonis & reliquorum ſcripta quis eſt qui ignoret, in quibus Chriſtum Deum ſimul atque hominem prædicarunt? Pſalmi quoque & cantica fratrum jam pridem à fidelibus conſcripta, Chriſtum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo.* Hinc colligebat Dallæus incognitas fuiſſe veteri illi Scriptori Ignatij Epiſtolas in quibus extant diſerta pro divinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti teſtimonia; verbi gratiâ in Vſſerianis ac Voſſianis ad Epheſios & ad Magneſianos Epiſtolis hæc leguntur, *Chriſtum Deum in carne factum eſſe, Deum humanitus manifeſtatum, eúmque ante ſæcula apud Patrem fuiſſe, & in fine apparuiſſe, eundem eſſe Dei Verbum æternum.* Profectò non eſt veriſimile Caium Ignatium prætermiſſurum fuiſſe, ſi ſuâ ætate extitiſſent quæ Ignatij nomine circumferuntur

Apud Euſeb. Hiſt. l. 5. cap. 28.

Dall. c. 9 pag. 280. 281.

Epiſtolæ: Ignatius Epiſtolicus Artemonis blaſphemiam ſplendidè confutat, primus ergo objici debuerat, tamen ne commemoratus quidem eſt; Eum nempè vetus ille Scriptor cognitum non habuit. Vindiciarum Auctor id inde ſequi negat: Nam ut Caium, inquit, ideò ignorâſſe Ignatium conſtet, quia eum non nominavit, neceſſe eſt ut etiam conſtet eum omnes, quos idem ſcripſiſſe nôrit nominaſſe. Id verò conſtare non poſſe affirmat; ſed pace Viri docti dixerim, ut validiſſimum ſit celeberrimi Dallæi argumentum, ſufficit Caium præcipuos ac celeberrimos commemoraſſe qui ante Zephyrinum ſcripſerunt, & Chriſtum Deum & hominem dixerunt; jam autem nullus Ignatio aut antiquior aut celebrior fuit, ſi igitur Caio cognitæ fuiſſent Ignatianæ Epiſtolæ, quin eum cum cæteris nominaſſet, immò omnibus prætuliſſet, non dubitabit æquus rerum iſtarum æſtimator; prætereà Caius in ſuis teſtibus recenſendis conſiſtit in Iuſtino, nec aſcendit altiùs: quia videlicet neminem Iuſtino antiquiorem noverat, qui Chriſtum Deum ſimul atque hominem diſertè prædicaſſet; noverat quidem ſi Virum doctum audimus, ſed ideò præterijt, quod ejus ſcripta omnibus nota putaret; quaſi verò? nulla ſanè ſcri-

Pearſ. pag. 105. 106.

ptorum Eccleſiaſticorum opera ante Zephyrinum elaborata, notiora fuerunt quàm Iuſtini, Miltiadis, Tatiani, Clementis, Irenæi, Melitonis, ea tamen memorat vetus ille Scriptor, Ignatij Epiſtolas memoraturus ſi tunc temporis notæ fuiſſent; Pearſonius de primis diffidens ſolutionibus, ad hanc tertiam confugit; Caium videlicet eos ſolos ſcriptores producere ſtatuiſſe, qui adverſus Gentes ſcripſerunt, & ex profeſſo adverſus Hæreticos, quod de Ignatio dici nequit: Miſerum Viri docti effugium; vetus ille Scriptor Artemonis hæreſim confutans, & novam eſſe demonſtrare contendens, præcipuos ſcriptores recenſet qui ante Zephyrinum floruerunt, & Chriſti divinitatem ſive ex profeſſo ſive aliter aſſeruerunt; nemo autem id clariùs aſſeruit quàm Ignatius Epiſtolicus, illum igitur non omiſſurus erat Caius, ſi illi cognitus fuiſſet, ſed ágmini ducendo eum præfeciſſet.

XXI. Alterum Dallæi argumentum deſumptum eſt ex quadam Eccleſiæ Alexandrinæ ſingulari traditione, Ignatianis legibus planè penitúſque adverſante; Eſt enim (inquit) hæc Ignatij Epiſtolici conſtans ac perpetua, in omnibus pœnè Epiſtolis conſtituta, & ad faſtidium uſque re-

petita & inculcata doctrina, non aliter, quam ab uno Epiſcopo Præsbyteris præſidente regi poſſe ac debere ſingulas Chriſti Eccleſias, his ſubnectit Dallæus ipſa Epiſtolarum loca quæ extant in Epiſtolis ad Epheſios, Magneſianos, Philadelphenſes, Trallianos & Smyrnæos; Deinde oſtendit alium fuiſſe uſum Eccleſiæ Alexandrinæ, ídque probat Hieronymi autoritate, qui ita loquitur Epiſt. 85. quæ eſt ad Evagrium, *Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteris ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Hieronymo ſocium dat Eutychium Patriarcham Alexandrinum, qui ſæculo nono præcipiti, & decimo ineunte floruit, ex cujus Annalibus Arabicè & Latinè Oxoniæ in Angliâ editis anno 1659. iſta deſcripſit; *Conſtituit Marcus Evangeliſta, unà cum Hanania* (quem Marcus ſcilicet Patriarcham ordinaverat) *duodecim Presbyteros, qui nempe cum Patriarcha manerent, adeò ut cum vacaret Patriarchatus, unum è duodecim Presbyteris eligerent, cujus capiti reliqui undecim manus imponentes ipſi benedicerent & Patriar-*

Dall.c. 7. pag. 272. 273. 274.

Eutych. Alex. l. 1. Ann. pag. 331.

cham crearent; deinde virum aliquem inſignem eligerent quem ſecum Presbyterum conſtituerent loco ejus qui factus eſt Patriarcha, ut ita ſemper extarent duodecim. Neque deſiſt Alexandriæ inſtitutum hoc de Presbyteris, ut ſcilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, uſque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, qui fuit ex numero illo trecentorum & octodecim (id eſt ex Patribus Nicænæ Synodi an. D. 325. ſub Conſtantino celebratæ) poſt hæc obſervat præſtantiſſimus Dallæus Eutychium de ſummâ rei cum Hieronymo conſentire, de tempore leviter diſcrepare. Vindiciarum Auctor negat levem eſſe Hieronymum inter & Eutychium diſcrepantiam; Verùm quæcunque ſit illa diſſonantia, nec Viri docti cauſam juvare, nec Dallæi hypotheſi nocere poteſt: in eo quippè conveniunt Hieronymus & Eutychius, quod utérque narret Alexandriæ Presbyteros per longum temporis ſpatium Epiſcopos ſibi creare eſſe ſolitos, quod adversâ fronte pugnat cum Ignatianis placitis, juxta quæ nihil ſine Epiſcopo fieri debet; nec mihi arridet Viri docti cavillatio, dicentis Hieronymum ſolam Presbyteris Epiſcopi nominationem concedere, non item electionem nec ordinationem, quaſi ab alijs electo & or-

Pearſ. cap. 10. *pag.* 163. 164. 165.

dinato, ſolum Epiſcopi nomen indidiſſent Presbyteri; nam inquit, *Hieronymus dicit quidem Epiſcopum ex Presbyteris electum, à Presbyteris non dicit; potuit autem ex Presbyteris ab alijs eligi, vel à populo, vel ab Epiſcopis alijs*: Quid eſt argutari, ſi hoc non eſt? tamen reprehendere non veretur clariſſimum Seldenum, qui ex Hieronymi verbis colligebat Epiſcopum Alexandrinum à Presbyteris electum & ordinatum fuiſſe; ſiquis hodie ſcriberet, Cardinales Romani unum ex ſe electum in excelſiori gradu ſeu in Altari collocatum, Papam nominant; & Vir doctus de ſolo Papæ nomine à Cardinalibus impoſito id interpretaretur, electione alijs conceſſâ, profectò ſe deridendum propinaret; dicet forſan eruditus Pearſonius neminem latere talem eſſe hodie Romæ conſuetudinem; atqui regeram ego, non ignorabat etiam Hieronymus Alexandrini Epiſcopi electionem ac promotionem, planè ut narrat peragi ſolitam, per totum illud tempus quod deſignat: contrarium tamen probare nititur Vindiciarum Auctor pluribus veterum teſtimonijs, Epiphanij videlicet, Epiſcoporum Ægypti in Synodo congregatorum, Gregorij Nazianzeni & Sozomeni, quoniam ſuas in eligendo Alexandriæ Epiſcopo populo tribuunt

partes,& præterea Liberati verbis qui peculiatis cujuſdam in illius Epiſcopi ordinatione cæremoniæ meminit; Hinc colligit à Presbyteris Alexandrinis illius loci Epiſcopum initio electum non fuiſſe; ſic ego quoque colligam Papam Romanum à ſolis Cardinalibus non eligi, quia populus ſuas habuit antiquitus in eo eligendo partes; nihil aliud reſpondere poterit Pearſonius, niſi res penitùs mutatas fuiſſe, nec in eodem ſtatu perſeveraſſe, quod ſanè verum eſt: Nam Romæ populus qui in eligendo Pontifice ſuas olim partes habuit, jure ſuo dejectus eſt; Alexandriæ verò jus illud quod à Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam ſolis competebat Presbyteris, temporis lapſu populo etiam conceſſum fuit; Eutychius certè de electione & de ordinatione à Presbyteris factâ disertè loquitur; utrámque autem in verbis Hieronymi comprehendi putavit doctiſſimus Holſtenius qui Diſſertatione primâ de Miniſtro confirmationis pag. 33. inde colligebat Presbyteros Alexandriæ Epiſcopis ſuis æquales fermè eſſe; nam poſt allata Hieronymi verba, quæ nos ſupra deſcripſimus, hæc habet. *Vnde conſtat Presbyteros Alexandriæ uſque ad annum Chriſti 246. non tam Epiſcopos ſibi conſtituiſſe, quàm Archipresbyteros: quibus exceptâ*

*ceptâ primæ Cathedræ dignitate, cæteri om-
nes compresbyteri in functionibus Eccleſiaſti-
cis eſſent quodammodo pares*; ſibi conſtitue-
re Epiſcopos idem eſt, niſi me fallit ani-
mus, quod eos ſibi eligere & præficere.
Reſpondet ſecundò Pearſonius uſum *pag.* 167.
hunc Alexandrinum qualis qualis ſit non
eſſe diſciplinæ Ignatianæ adeò contra-
rium, & ex diametro oppoſitum, ut inde
ignoratio Ignatij Epiſtolici colligi poſſit;
reſponſionis ſuæ hanc adfert rationem,
uſum illum videlicet obtinuiſſe in vaca-
tione ſedis, & ad electionem aut pro-
motionem Epiſcopi tantùm ſpectare,
Ignatium verò de electione aut promo-
tione Epiſcopi nihil ſcripſiſſe. Sed hæc ſe-
cunda Viri docti ſolutio priore non eſt ſo-
lidior: ſi enim Presbyteris Alexandrinis
licitum fuit ſibi Epiſcopos conſtituere,
quidni etiam alias abſque Epiſcopo fun-
ctiones obire? Et ſi quod eſt maximũ jure
facere potuerunt, in minoribus functioni-
bus idem jus eis competiviſſe par eſt cre-
dere, ideóque Holſtenius ex Hieronymi
verbis ritè colligebat Presbyteros Epiſco-
pis exceptâ primæ Cathedræ dignitate, in
functionibus Eccleſiaſticis eſſe quodam-
modo pares: pares autem eſſe non pote-
rant niſi illis aliquid facere ſine Epiſcopo
conceſſum fuiſſet, cùm Epiſcopo quædam

ſine Presbyteris facere veriſimiliter liceret; prætereà non ſolùm Sede vacante hic uſus obtinuit, ut ſcribit Vindiciarum Auctor, ſed etiam promotione factâ, docet enim nos Eutychius hanc fuiſſe Eccleſiæ Alexandrinæ conſuetudinem, ut Presbyteri creato ſibi Epiſcopo, Virum aliquem eligerent quem ſecum Presbyterum conſtituerent loco ejus qui factus eſt Patriarcha, ut ita ſemper extarent duodecim, quod quàm ſit contrarium Ignatio Epiſtolico, qui negat ſine Epiſcopo quicquam faciendum, nemo non videt; Et certè non ſolent denegari minora, quibus majora competunt; jam autem nihil majus in hoc rerum genere concipi poteſt, quàm Epiſcopum ſibi eligendi ac ordinandi jus atque poteſtas; & fruſtrà eſt Vir doctus dum ſcribit pag. 169. id tradi ſine Eutychij autoritate, cùm totidem verbis id aſſerat celeberrimus ille Patriarcha Alexandrinus.

XXII. Aliud quiddam non minus mirabile ex eodem Eutychio obſervabat celeberrimus Dallæus, nullum videlicet totam Ægyptiam, numeroſiſſimam ac ampliſſimam Eccleſiam à Marco ad Demetrium anno Domini circiter 190. ordinatum, Epiſcopum, præter unum Alexandrinum habuiſſe: cæteræ extra Alexandri[illegible] parœ-

ciæ à Presbyteris abſque Epiſcopis ſingulæ regebantur. En tibi ipſiſſima Eutychij verba *ab Hanania quem conſtituit Marcus Evangeliſta Patriarcham Alexandriæ, uſque in tempora Demetrij Patriarchæ ibidem* (is Patriarcha fuit Alexandriæ undecimus) *NVLLVS erat in Provincijs Ægypti Epiſcopus; nec Patriarchæ ante eum crearunt Epiſcopos. Ille autem factus Patriarcha tres conſtituit Epiſcopos. Et primus hic fuit Patriarcha Alexandrinus qui Epiſcopos fecit. Mortuo Demetrio ſuffectus eſt Heraclâs Patriarcha Alexandrinus, qui Epiſcopos conſtituit viginti.* Vir doctus qui hac Eutychij narratione valdè urgebatur, varias excogitavit ſolutiones, ut telum illud ab Ignatij ſui capite averteret, 1. dicit ex his Eutychij verbis minimè ſequi totam Ægyptiam Eccleſiam Ignatij Epiſtolas ignoraſſe; quia omnes Eccleſiæ Ægyptiacæ ſive aliquem Epiſcopum habuerint ſive nullum, ſubjectæ erant Epiſcopo Alexandrino, Ignatium autem aſſerere illud demùm miniſterium Eccleſiaſticum rectè peragi, quod vel *ſub ipſo Epiſcopo fit*, vel quod *ipſe conceſſerit*: quod fieri potuit in Ægyptiacis Eccleſijs Epiſcopo Alexandrino ſubjectis, quæ nullo alio Epiſcopo gauderent; Hæc prima Vindiciarum Auctoris ſolutio; ſed parùm ſolidita-

Ibid. pag. 332.

Pearſ. pag. 150.

tis habet; nam ſi hoc non negat Eutychius, ut ait Pearſonius, non etiam aſſerit, ac proinde ex illius ſilentio nihil certi pro ſuâ ſententiâ colligere poteſt; Eutychij igitur verbis adhærendum eſt, & plures in Ægypto Eccleſias uſque ad Demetrium abſque Epiſcopis regi ſolitas ex illis concludendum; præthereà quamvis vera eſſent quæ ſcribit Pearſonius de Eccleſiarũ Ægyptiarum Epiſcopo Alexandrino ſubjectione, non ea propter cum iſtis Ignatij ſui Decretis convenirent; *Quemadmodum Dominus ſine Patre nihil facit, ſic neque vos ſine Epiſcopo & Presbyteris aliquid operemini*; ita ad Magneſianos, & ad Epheſios, *Ieſus Chriſtus Patris ipſius ſententia eſt: ut & Epiſcopi per terræ fines conſtituti Ieſu Chriſti ſententia ſunt*; ad Philadelphienſes, *Spiritus prædicavit dicens hæc, ſine Epiſcopo nihil faciatis*; ad Tralleſios, *Neceſſarium eſt quemadmodum facitis, ſine Epiſcopo nihil operari vos.* Tum paulò poſt, cum Epiſcopum & Presbyteros, illum, *ut Chriſtum*, hos, *ut Concilium Dei & conjunctionem Apoſtolorum*, revereri juſſiſſet, *ſine his* (inquit) *Eccleſia non vocatur.* Et paucis interjectis; *qui ſine Epiſcopo & Presbytero & Diacono, operatur aliquid, iſte non mundus eſt in conſcientiâ.* Alia ejuſdem commatis adducere poſſem: ſed quæ hactenus deſcripſi ſatis ſupérque

demonſtrant Ignatiana Ægyptijs ignota fuiſſe; alioqui ſingulos ſingulis Eccleſijs præfeciſſent Epiſcopos, cùm nihil in Eccleſijs ſine Epiſcopo æquè ac ſine Presbytero facere permittat Epiſtolicus Ignatius, nec majorem Epiſcopos habendi quàm Presbyteros neceſſitatem imponat; æquâ lege utrorúmque reſpectu, ſi iſtum audimus, tenentur Chriſtiani, qui neque Dei Eccleſia cenſendi ſunt aut vocandi, ſi Epiſcopis carent eorum cœtus; liquet enim ex Epiſtolarum inſcriptionibus de particularibus hîc agi Eccleſiis, quæ ſecundum iſtius ſcita, ita pendent ab Epiſcopis, ut eas Eccleſiarum nomine indignas judicet, quæ Epiſcopos non habent; quæ doctrina cùm Evangelica non ſit, verum Ignatium nequaquam redolet. Pearſonius etiam hac primâ ſolutione non contentus, ad aliam tranſit, & hiſtoriolam illam, ſic loqui amat, de tribus Epiſcopis à Demetrio primùm in Ægypto factis minimè fide dignam eſſe aſſerit; nempè Vir doctus planè militari auſu, nodum quem ſolvere nequit, ferro diſſecat, ita nullus erit nodus inſolubilis. Neque enim quicquam tam certum & perſpicuum adduci poterit, quod non eadem arte eludatur. Ab Originibus Eccleſiæ Alexandrinæ nimis remotus fuit Eutychius, ut ejus *pag. 171. 172.*

narrationi adhibeatur fides; ſed longè remotior Pearſonius, ac propterea minimè audiendus, dum narrationem illam ſeptingentis quadraginta circiter annis poſt Eutychij mortem falſi inſimulare non veretur; multa in Annalibus ſuis conſcribendis peccata peccavit Eutychius, & à vero aliena narravit: Demus Viro docto hoc ita ſe habere; indene ſequetur hiſtoriam de quâ lis eſt non eſſe fide dignam minimè gentium; rari ſunt Hiſtorici in quibus plura reprehenſione digna non reperias, & tamen ſi ob quædam eorum peccata, cæteris narrationibus fidem detrahere velis, actum erit de hiſtoriâ *temporum teſte vetuſtatíſque nuntiâ*, & peſſimè nobiſcum agetur: Quid fiet de ipſo Euſebio & de luculento quod Ignatianis perhibet teſtimonio, & quo tantopere delectatur Vir doctus, ſi illius omnia ad vivum reſecantur: quoties enim in Hiſtoriâ ſuâ Eccleſiaſticâ hallucinatus eſt, & quoties ob id à Viris doctis notatus.

XXIII. *pag.* 173. 174. 175. Verùm reſpondet tertiò eruditus Pearſonius, planè incredibile eſſe, ut nullus fuerit in totâ Ægypto Epiſcopus præter ſolum Alexandrinum, ante Demetrij Patriarchatum, & aſſertionem contrariam ex optimis hiſtoriæ monumentis demonſtrari poſſe. Optima illa hiſtoriæ monu-

menta nihil aliud ſunt quàm Epiſtola ab Adriano Imperatore ſcripta ad Servianum Conſulem circa A. D. 132. ſexaginta fermè annis antequam factus eſt Patriarcha Demetrius, & quam ex Phlegonte Adriani liberto tranſcripſit Flavius Vopiſcus in vita Saturnini. Hujus Epiſtolæ v rba ſunt: *Ægyptum quam mihi laudabeas, Serviane chariſſime, totam didici, levem, pendulam, & ad omnia famæ momenta volitantem. Illi qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt: & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt. Nemo illic Archiſynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum Presbyter, non mathematicus, non aruſpex, non aliptes. Ipſe ille Patriarcha quum Ægyptum venerit, ab alijs Serapidem adorare, ab alijs cogitur Chriſtum.* Ex iſtis Adriani verbis colligit Vir doctus falſam eſſe Eutychij narrationem, dum ſcribit nullum fuiſſe in tota Ægypto Epiſcopum, præter Alexandrinum uſque ad Demetrij tempora: nam *habemus hîc* (inquit) *Patriarcham, Chriſti Epiſcopos, & Chriſtianorum Presbyteros.* Sed profectò non poſſum non mirari Vindiciarum Auctorem in iſtis leviſſimis præſidium quærentem, quaſi falſi argui poſſet Eutychij hiſtoria de tribus Epiſcopis in Ægypto à Demetrio primùm creatis, quia Adriani Epiſtola

longè ante Demetrij promotionem ſcripta, Epiſcoporum Chriſtianorum in Ægypto meminit. Aliquem colorem, etſi forte evanidum haberet Viri docti argumentatio, ſi Adriano planè penitúſque compertæ fuiſſent res Chriſtianorum; ſed patet ex Epiſtolæ lectione falſa pleráque ei perſuaſiſſe homines Ægyptios infenſiſſimos Iudæorum & Chriſtianorum hoſtes: quis quæſo unquam ſcripſit Adriani ætate eò uſque deferbuiſse Epiſcoporum Chriſtianorum pietatem, ut Serapidis cultu & adoratione vitam redimere, ſalutíque ſuæ conſulere non dubitarent? contrà nemo neſcit tanto Dei zelo per illa tempora flagrâſse Eccleſiarum Chriſtianarum Paſtores, ut mortem ſponte & maximo cum gaudio pro Chriſti nomine oppeterent: Deinde quis vel fando audivit unum tunc temporis fuiſse Deum Iudæis, Chriſtianis, & Gentibus? Hoc tamen diſertè profitetur Adrianus, quamvis in eadem ſcribat Epiſtolâ alios Chriſtum, alios coluiſse Serapin, ut taceam cæteram Deorum turbam, quos Ægyptij cum reliquis Paganis eâ tempeſtate vel ſuperſtitioſiſſimè venerabantur: *Vnus* (inquit) *illîs Deus eſt, hunc Chriſtiani, hunc Iudæi, hunc omnes venerautur & gentes.* Præterea quis concoquere poteſt quæ dicit de Patriarcha illo quem

quem memorat, quod videlicet quum Ægyptum venerit, *ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Chriſtum*; Nam ſi Chriſtianorum Alexandrinorum fuit Patriarcha, ut nonnullis placet, ad Chriſtum adorandum minimè cogebatur, in illius ſiquidem cultum ac venerationem libentiſſimè ferebatur, nihílque gratius atque jucundius ei contingere poterat, quàm Chriſtum Dominum colendi ac adorandi jus atque poteſtas. Si verò Judæorum fuit Patriarcha ut volunt Pearſonius, ejúſque popularis ac ſymmiſta Beveregius in Can. 6. Concilij Nicæni primi, quomodo à Chriſtianis Chriſtum adorare cogi potuit? Tantáne fuit eâ tempeſtate Chriſtianorum autoritas, ut homines à ſuâ religione alienos, ad Chriſtum colendum vi ac minis impellere poſſent? cùm igitur tot ſint in illâ Adriani Epiſtolâ cum veritate pugnantia, & quæ craſſiſſimam rerum Chriſtianarum ignorantiam produnt; nil certi hinc exſculpi poteſt: ſed (inquit Pearſonius) *habemus hîc Chriſti Epiſcopos, & Chriſtianorum Presbyteros*: quid tum inquiam ego? Presbyteros nominat quos Epiſcopos nuncupaverat; non ſolùm quia ijdem ſunt Epiſcopi & Presbyteri juxta Scripturæ ſacræ ſtylum, qui vigebat adhuc inter Chriſtianos

Adriani ætate ; ſed etiam quoniam aliquid inaudiverat Adrianus de Presbyteris Alexandrinis qui unum ex ſe electum, Epiſcopum ſibi conſtituebant, & ea propter Epiſcopi quodammodo erant ; His adde per Epiſcopos ac Presbyteros Adrianum intelligere forſan Patriarchæ Iudæorum Aſſeſſores, qui *Apoſtoli* dicebantur, & erant veluti Gentis ſeniores, & rerum judaïcarum Epiſcopi ſeu Inſpectores, de illis Patriarchæ rationem reddituri ; nec obſtat quod eos Chriſtianorum Epiſcopos ac Presbyteros indigetat. Scriptores enim Ethnici Iudæos cum Chriſtianis non rarò confundunt, quoniam Religio Chriſtiana eſt Iudaïcæ veluti filia atque
*pag.*176. propago. Quicquid ſit Vindiciarum Au-
177. ctor nondum habens ubi ſiſtat aliò confugit, ſcribitque certum eſſe neque Græcis neque Latinis notam fuiſſe traditionem illam de Epiſcopis in Ægypto à Demetrio primùm factis: ut id probet adfert Evariſti Epiſtolam ad omnes per Ægyptum fratres, hoc eſt, Epiſcopos ; concedit quidem hanc Epiſtolam Evariſti non eſſe, ſed ab Adverſariis poſtulat ut largiantur Autorem Epiſtolæ plures Epiſcopos Evariſti ætate in Ægypto fuiſſe opinatum eſſe ; ſanè impoſtor qui hanc ſuppoſuit Epiſtolam antiqua tempora

ſuis metiens, plures fuiſſe in Ægypto Evariſti ætate Epiſcopos credidit vel ſaltem credere ſimulavit, quoniam per magno erant numero, ſæculo quo Decretales ſuas craſiſſimo filo contextas primis Eccleſiæ Romanæ Epiſcopis ſupponebat; ſed hæc Viri docti cauſam minimè juvant; idem planè dico de verbis Suidæ & Chronographi Ioëlis, qui Leonidem Origenis patrem ſub initio Demetrij Epiſcopum faciunt Ægyptiacum, cùm Epiſcopus nunquam fuerit ut fatetur ipſe Pearſonius, quicquid opinati ſint Scriptores illi qui eum Epiſcopi titulo inſigniunt. Pergit eruditus Pearſonius, & in ſubſidium vocat Synodum quandam à Demetrio adverſus Origenem congregatam; illius Synodi meminit Photius in Bibliothecâ Cod. CXVIII. in hæc verba ex verſione Schotti, *Synodus Epiſcoporum coacta, & Presbyterorum quorundam contra Origenem*; Vir doctus carpit verſionem clariſſimi Huetij qui Græca Photij ſic Latinè reddidit, *Synodus prior Epiſcopis aliquot & Presbyteris conflata*, nempè ægrè fert Pearſonius quod Huetius vocem *aliquot* de Epiſcopis ac Presbyteris æquè uſurpaverit, quaſi aliquot tantùm fuiſſent & Epiſcopi & Presbyteri, cùm Epiſcopos fuiſſe plures, aliquos au-

tem & Presbyteros aſſerat Vindiciarum Auctor. Quamvis doctiſſimi Huetij verſio ritè defendi queat, Viro docto tamen largiri volo, verba Photij, ſeu potius Pamphili Martyris à Photio deſcripta quemadmodum dicit, eſſe interpretanda; ſed quid inde lucri habiturus ſit non auguror: nihil enim vetat quin quatuor Epiſcoporum & quorundam Presbyterorum cœtus, Epiſcoporum & aliquot Presbyterorum Synodus nuncupetur, cùm Synodi audiant Diœceſanæ quæ ex ſolo Epiſcopo & Diœceſis ſuæ Presbyteris conſtant; potiori igitur jure cœtus quo de agimus Synodi Epiſcoporum & aliquot Presbyterorum nomen meretur: Nam ſi tres faciunt *Collegium* immò *Eccleſiam* ut ſcribit alicubi Tertullianus, quantò magis quatuor Epiſcopi cum aliquot Presbyteris Synodum ſunt conſtituturi; quatuor autem illi Epiſcopi ſunt Demetrius ipſe unà cum tribus alijs quos primùm in Ægypto creârat Epiſcopis; plures erant, inquit, Epiſcopi quam Presbyteri eſto, ergo major erat Ægypti Epiſcoporum numerus, quàm ſcribit Eutychius, negatur conſequentia; Nam ſi quatuor huic Synodo interfuerunt Epiſcopi, Presbyteri verè tres tantùm, plures fuerunt Epiſcopi quàm

Presbyteri, abſque ullo Eutychianæ narrationis detrimento, cui donec validiora adferantur argumenta, conſtabit ſua veritas. Verùm liberaliùs cum Viro docto eſt agendum, eíque concedendum plures quàm quatuor Synodo interfuiſſe Epiſcopos; Num propterea nutabit hiſtoriæ Eutychij ſides, aut in falſi ſuſpicionem veniet? Nequaquam; aliunde videlicet quam ex ſola Ægypto evocari potuerunt Epiſcopi; & veriſimile eſt Demetrium alios litteris ſuis prçter Ægyptiacos invitaſſe, ut majoris eſſet momenti atque ponderis Decretum contra Origenem illâ in Synodo ſanciendum: Sed quoniam voti ſui compos non omninò fuit Demetrius, Synodi ſiquidem Patres Origenem Alexandriâ pellendum, neque in eâ verſari aut docere permittendum decreverunt, Sacerdotij tamen dignitate nequaquaquam ſubmovendum. Demetrius inquam qui moleſtè ferebat Origenem à Priori Synodo non exauctoratum fuiſſe, quoſdam Ægypti Epiſcopos iterùm convocat, ij autem morē gerere Demetrio paratiores, Origenem, quem tunc temporis odio plus quàm Vatiniano proſequebatur, abjudicant, eúmque Sacerdotij dignitate ſubmovent; Hæc ita geſta fuiſſe ſcribit Pamphilus apud Photium

ubi ſuprà; Nam poſt memoratam Prioris Synodi ſanctionem, ſic hiſtoriam Origenis proſequitur. *Verùm Demetrius unâ cum quibuſdam Epiſcopis Ægyptijs, Sacerdotio quoque illum abjudicat, ſubſcribentibus etiam huic Decreto qui ei ſuffragati ſunt.* Iam nemo non videt Epiſcopos illos quos ſecundò congregavit Demetrius Ægyptios expreſſè nominari, oppoſitione factâ ad alios qui in priori conventu Ægyptij non erant, non autem ad diſtinctionem cæterorum Ægypti Epiſcoporum, cùm in totâ Ægypto tres tantùm eſſent Epiſcopi à Demetrio ipſo creati; Et certè nulla alia idonea, ut mihi quidem videtur, adferri poteſt ratio ob quam Pamphilus obſervet Ægyptios fuiſſe Epiſcopos qui Origenis abjudicationi conſenſerunt, niſi ut implacabile Demetrij in Origenem odium exaggeret, cæcámque notet ſubſcribentium Epiſcoporum obedientiam; cùm enim tale Decretum à priori Epiſcoporum & Presbyterorum conventu extorquere non potuerit Demetrius, fortè animo verſans hanc vel ſimilem Poëtæ ſententiam, *audaces fortuna juvat*; Origenem Presbyteri gradu dejicere non dubitat, & ne ſolus hoc feciſſe videretur, quoſdam Ægypti Epiſcopos in ſuam ſententiam traxit, ſuóque Decreto ſubſcri-

bere perſuaſit; illi enim ſoli Decreto ſubſcripſerunt, qui Origenis exauctorationi conſenſerant, nempe pauci Ægyptij, non alij, ut fert Schotti verſio, qui hæc Græca verba, τῶν συμψήφων αὐτῷ γεγενημένων, ſic reddidit, *quotquota ntea ſuffragati ei fuiſſent*, cùm tamen ita vertenda eſſent, *qui ei ſuffragati ſunt*; illos videlicet denotans qui unà cum Demetrio Origenem Sacerdotij dignitate ſubmoverunt, quod ad prioris Synodi Patres referri non poteſt, ſed ad eos qui hiſce verbis deſignantur ἅμα τισὶν ἐπισκόποις αἰγυπτίοις, & forſan olim loco τισὶν *quibuſdam*, legebatur τρισὶν *tribus*, quod Eutychij narrationi apprimè congruit, & prætereà facilis eſt unius vocis in alteram permutatio. Vt ut eſt ſi Origenes ut ſcribit Vindiciarum Auctor, de abrogatâ veteri conſuetudine, de autoritate paucorum novitiorúmque Epiſcoporum non diſputavit, rationes apud ſe habuit, quibus permotus iſta ſilentio præterivit; prætereà conqueri potuit, ſed ejus querelæ ad nos non pervenerunt; His adde abrogationem veteris Eccleſiæ Alexandrinæ conſuetudinis omnibus ita gratam fuiſſe, ut à nemine veriſimiliter reprehenderetur: nam hoc pacto Eccleſia Alexandrina ad uſum ac diſciplinam reliquarum Eccleſiarum proximè accedebat; nec mirum ſi Synodo-

rum Demetrij Decretis conſenſerit uni-verſus ferè orbis, ſive Origenis ad Pres-byteri gradum promotionem inconſulto ſuo Epiſcopo ſpectes, ſive illius audax fa-cinus inſpicias, hoc eſt voluntariam ſui abſciſſionem, prius illius temporis diſci-plinam ſollicitabat, poſterius naturæ le-ges violabat; neutrum igitur probari po-terat, ideóque ſi Demetrius æquitatis ac juſtitiæ leges in Origenis causâ ſequutus eſſet, nec iræ ſe permiſiſſet, aut odium quo in eum flagrabat conſuluiſſet, omnes orbis Chriſtiani Provincias, ne unâ qui-dem exceptâ, Decretis ſuis conſentientes dubio procul habuiſſet; ſed quoniam plu-ribus compertum erat, Demetrium odio concitatum & iræ impotentem hæc De-creta contra Origenem condi curaviſſe quamvis eum antea multùm dilexiſſet, laudibúſque cumulaſſet, aliquot Provin-ciæ ſanctionibus ſuis ſunt refragatæ, ad id præterea inductæ magno & excellenti Viri ingenio, qui multis admirationi erat. Vltra progredior, & aliquid amplius Vi-ro docto largiri non gravabor; per pau-cos illos videlicet Ægypti Epiſcopos qui Origenis abdicationi conſenſerunt, Pam-philum intelligere partem modò eámque forte minorem Epiſcoporum Ægyptio-rum, non ideò deterior erit Eutychij nar-

ratio,

ratio, facilè in gratiam redibit cum Pamphilo Eutychius, & inter eos pacem ac amicitiam conciliare non erit arduum; ut id fiat Ægyptus bifariam conſideranda eſt, vel ſeorsùm à Lybiâ & Pentapoli & forſan etiam Thebaïde, qualis erat Demetrij ætate, vel una cum ijs junctim cujuſmodi erat temporibus Pamphili; nemo enim horum ſtudiorum notitiâ vel leviſſimè tinctus ignorat; Ægyptum, Thebaïdem, & utrámque Lybiam, Provinciam Epiſcopi Alexandrini Eccleſiaſticam tunc temporis conſtituiſſe, ut liquidò conſtat ex Canone ſexto Concilij Nicæni primi, necnon ex varijs Operum ſancti Athanaſij locis, & quia Ægyptus ſic propriè dicta omnium erat nobiliſſima, univerſa Diœceſis Ægypti nomine nuncupabatur; cùm igitur Eutychius ſcribit nullos fuiſſe in Provincijs Ægypti Epiſcopos præter Alexandrinum uſque ad Demetrium qui tres primùm conſtituit, Ægyptum reſpicit priori modo, ſeorsùm videlicet à Thebaïde & Lybiâ utráque, in quibus regionibus non negat eſſe Epiſcopos Demetrij ætate, de ſolâ Ægypto loquitur ab illis Provincijs diſtinctâ: Pamphilus verò ſub Ægypti nomine omnes illas complectitur Provincias, quæ eâ tempeſtate Provinciam Epiſcopi Alexandrini Eccleſia-

ſticam conſtituebant; mutuus ergo Pamphilum inter & Eutychium conſenſus, ſumma concordia. Hinc non parùm lùcis accedit duabus Synodis de quibus Pamphilus apud Photium; plures priori Synodo interfuêre Epiſcopi præter Ægyptios propriè dictos, ex Thebaïde ſcilicet & utráque Lybiâ precibus & litteris Demetrij veriſimiliter evocati; ſed quia Demetrio non parebant, nec ei ſubjecti erant ut Ægyptij (nondum ſiquidem limites ſuos extra Ægyptum dilataverant Epiſcopi Alexandrini) ab illis impetrare non potuit Demetrius Origenis abdicationem; quâ re animadversâ ad ſuos iterùm ſe vertit Ægyptios Epiſcopos, & una cùm ijs Origenem Sacerdotij dignitate ſubmovet. Hæc vera eſt ni fallor, & Eutychij narrationis & Synodorum Demetrij interpretatio, nullam enim vim verbis facit, Eutychium cum Pamphilo non committit, neque Pamphilum cum Eutychio, nodos ſolvit, tollit difficultates, & exiguis regiminis Eccleſiaſtici primordijs ac progreſſui eſt accommodatiſſima; regimen quippe Eccleſiaſticum ſenſim paulatímque, & veluti ſurdis quibuſdam incrementis ad typum & exemplar regiminis civilis & politici formatum fuit, & tandem quæ uſu ac conſuetudine obti-

nuerant Præſules, Conciliorum Decretis firmata fuerunt & roborata; non mirum igitur ſi Alexandri Alexandriæ Epiſcopi ætate paulò ante Concilium Nicænum pene centum Epiſcopi Ægypti conſenſerunt in condemnationem Arrij & aliquorum etiam Epiſcoporum, nam eâ tempeſtate Alexandro parebant, non ſolùm Ægyptus, ſed etiam Thebaïs & Lybia utráque, fluxerant ſiquidem à Demetrij Synodis ad hoc uſque tempus centum plus minus anni, intra quod temporis ſpatium Epiſcoporum numerus in illis Provincijs mirum in modum auctus eſt; quæ de Dionyſio Demetrij poſt Heraclam ſucceſſore ſubjungit Vir doctus, nihili planè ſunt; præterquam enim Heraclas Dionyſij deceſſor & Demetrij immediadiatus ſucceſſor viginti conſtituerat Epiſcopos, ut ſcribit Eutychius pag. 332. & ita plures erant ante Dionyſium in Ægypto Epiſcopi, plærique quos nominat Dionyſius non ad Ægyptum propriè pertinebant, ſed ad Thebaïdis & Lybiarum Provincias; nec à vero alienum putarim huic Dionyſio Provincias illas Thebaïdem videlicet & utrámque Lybiam, obedientiam primùm præſtare cœpiſſe, ſive ad id ſollicitatæ fuerint celeberrimâ ſanctiſſimi Viri famâ, ſive urbis Alexandriæ

Pearſ. pag. 177.

Digitized by Google

magnitudine ac ſplendore, ſive aliquâ aliâ ratione nobis incompertâ, & tunc primùm propriè jacta fuiſſe per omnes illas Provincias in gratiam Epiſcoporum Alexandrinorum jurium Metropoliticorum fundamenta, quæ poſteà Canone ſexto Concilij Nicæni ſunt confirmata.
pag. 178. 179. Græcis inquit Pearſonius atque Latinis ignota fuit traditio illa de tribus Epiſcopis à Demetrio primò in Ægypto factis, illud autem probat Scriptorum auctoritate, Eutychij vel æqualium vel ſupparium vel recentiorum, & qui in rebus Eccleſiæ Alexandrinæ Patriarchæ illius ſedis ſunt poſtponendi, ejuſdem eſt commatis quod ultimò obſervat, Eutychium hanc hiſtoriolam tanquam traditionem à majoribus acceptam non referre, ſed velut quæſtionis Criticæ aut Philologicæ apud Arabas ſui temporis agitatæ ſolutionem in honorem Eccleſiæ ſuæ factam. Nam occaſionem quam habuit Eutychius hanc texendi narrationem, cum ipsâ narratione confundit Pearſonius; quæcunque fuerit occaſio, ſufficit ut narratio ſit merè hiſtorica, hiſtoricam autem eſſe cuivis legenti patet: imò hiſtoriam repetit ab initio, ut propoſitæ quæſtioni meliùs reſpondeat. At ſi erravit Eutychius in vocibus *Abba* & *Papa*, viderit ipſe, erra

ta ejus non præſto, quæ vera narrat amplector.

Sic vindicavimus ab exceptionibus Viri docti traditionem Ægyptiacam, ejúſque originem ac durationem uſque ad Demetrij tempora demonſtravimus, eámque non fictam, ut vult Pearſonius, ſed veram eſſe probavimus, quod confirmat Dallæus Eccleſiæ Æthiopicæ exemplo, *Eutychianam traditionem*, inquit, *firmat idem inſtitutum in antiquiſſimâ, ac nobiliſſimâ Eccleſiæ Ægyptiæ traduce, Æthiopicâ ſcilicet Chriſtianitate, ad hæc uſque tempora ſervatum. In omni enim Æthiopicâ Eccleſiâ, unus eſt jam ab antiquis temporibus Epiſcopus, Abuna, ut vocant, id eſt Patriarcha, qui etiam hodie ab Alexandrino Patriarcha conſecratur, ac mittitur.* Aſſertionis ſuæ teſtes quatuor adducit Dallæus, Alphonſum Mindeſium, Nicolaum Godignum, Ioannem à Sanctis, Franciſcum Alvarem; Hi omnes teſtantur Æthiopum *Abunam* ab Alexandrino Patriarcha mitti ac conſecrari, neque alios conferre ordines, quàm Diaconatum & Presbyteratum, ut de more erat Epiſcopis Alexandrinis uſque ad Demetrium, qui tres primùm conſtituit Epiſcopos; reſpondet Pearſonius ex eo quod hodie fit apud Chriſtianos Æthiopas, minimè concludi poſſe idem

XXIV.

Dall. cap. 7. pag. 274.

Pearſ. pag. 183. ad 187.

in Ægypto ad Demetrium uſque obſervatum fuiſſe; ſed fallitur Vir doctus, nam valebit conſequentia, donec probatum fuerit recentem eſſe hanc conſuetudinem, nec ab initio apud Chriſtianos illos obtinuiſſe; oſtendat iſtius uſus originē, & antiquiſſimum non eſſe demonſtret: quod certè difficillimum erit, præſertim ſi attendatur antiquorum rituum vulgò tenaciſſimas eſſe gentes quæ craſiſſimâ laborant ignorantiâ, nec eorum abrogationem facilè pati; ut novos ſuſcipiant, & à priſtinis abducantur conſuetudinibus, quibus mordicùs adhærent: Eſt igitur plus quàm veriſimile hanc quâ de agimus conſuetudinem in Eccleſiâ Æthiopicâ ab initio viguiſſe, eandémque fuiſſe in hac Eccleſiæ Ægyptiæ traduce regiminis formam, quæ fuit in Eccleſiâ matrice Ægyptiâ videlicet; nec diffitetur Pearſonius Æthiopas aliquando Chriſtianam religionem ab Ægyptijs hauſiſſe, de tempore tantùm quærit; cujus cognitio (inquit) erat ad hoc argumentum planè neceſſaria; verùm illam neceſſitatem non capio; nam quocunque tempore id contigerit, nihil ad rem facit, dummodo regimen tale fuerit quale deſcripſimus; regimen autem illud minimè toleratura erat Eccleſia Ægyptia Æthiopicæ mater, niſi ſuum

planè ſimile initio fuiſſe exploratum habuiſſet: præthereà de tempore adeò ſollicitus eſſe non debet Vir doctus, cùm conſtet juxta popularis ejus Brerevvood videlicet obſervationem, Æthiopiam Epiſcopo Alexandrino à Patribus Concilij Nicæni primi contributam fuiſſe, quod ego potiùs de juris in Æthiopiam confirmatione interpretarer, & ita explicandus videtur Gelaſius Cizicenus à quo ſua mutuatus eſt Londinenſis Profeſſor: Liturgia verò Æthiopum Romæ impreſſa, quam memorat Pearſonius: & in quâ Archiepiſcoporum & Epiſcoporum fit mentio, contra Hiſtoriæ veritatem, ad uſum Latinorum dubio procul fuit accommodata; preces autem quæ extant in Miſſalibus Caſtelli quod attinet, ejuſmodi ſunt ut nihil certi hinc elici poſſit, Epiſcopos enim diſtinguunt à Sacerdotibus, & Sacerdotes à Presbyteris, quaſi Sacerdotes medij cujuſdam eſſent ordinis, Epiſcopos inter & Presbyteros, quod eſt omninò abſurdum. Dallæus hiſce exemplis non contentus, aliud adducit ex Germanicâ Bajoariorum gēte deſumptum: *Nam ex Gregorij P. R. III. Epiſtolâ ad Bonifacium An. D. 739. datâ diſcimus*, inquit, *in illa gente & Chriſti fidem viguiſſe & Presbyteros fuiſſe, cùm tamen nulli apud eos eſſent Epi-*

Recherch de la diverſ. de Lang. & Rel. pag. 272.

Pearſ. pag. 187. 188.

Dall. Pag. 276.

ſcopi , & Vivilonem neſcio quem primùm fuiſſe , quem ipſe Gregorius à ſe in eum ordinem conſecratum ad eos miſit. Quid ad hæc Vir doctus, dicit primùm illud quod octavo ſæculo factum eſt , non probare Epiſtolas Ignatianas ſæculo ſecundo & tertio non extitiſſe; At id probat quod probare debet, ſcilicet Ignatiana Bajoariјs incognita fuiſſe, vel pro ſpuriјs habita , dum religionem Chriſtianam ſuſceperunt , alioqui Presbyteris ſolis Eccleſias ſuas non commiſiſſent, contra quam diſertè præcipit Epiſtolicus Ignatius. Secundo obſervat Pearſonius Vivilonem non fuiſſe primum illius gentis Epiſcopum , nec contrarium affirmare Gregorium, ſed in locum Epiſcopi defuncti miſſum fuiſſe , hoc autem probat ex titulo præcedentis Gregoriј Epiſtolæ quatuor Bajoariјs Epiſcopis inſcriptæ, quaſi negaret Dallæus plures tunc extitiſſe in Bajoariâ Epiſcopos, hoc tantùm dicit nullum ante Vivilonem Bajoarios habuiſſe Epiſcopum , quod profectò ex Epiſtolâ clarè colligitur. Addit Dallæus neque ſeptimo ſæculo notam fuiſſe Epiſtolici Ignatiј autoritatem Scotis Chriſtianis, apud quos ex Beda diſcimus fuiſſe Inſulæ Ionæ Abbatem Presbyterum , cujus juri & omnis Provincia, & ipſi etiam Epiſcopi ſubjecti

Pearſ. pag. 188. 189. 190.

Tom. 5. Concil. pag. 465. 466.

ſubjecti eſſent; juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Epiſcopus, ſed Presbyter extiterat, obſervat quidem Beda inſtitutum iſtud *ordine inuſitato* factum fuiſſe, ſed obſervatio iſta cauſam non juvat Auctoris Vindiciarum, quoniam ſi nota fuiſſent Epiſcopis Scotis Ignatiana, vel inſtitutum illud non toleraſſent, vel ſaltem ad id excuſandum aliquid adduxiſſent: Canon Chalcedonenſis quem adfert Vir doctus eſt planè diſſimilis, nec quicquam commune habet cum Ionenſium inſtituto; an autem Ionenſes emunctæ naris critici fuerint necne, nihil ſcire refert; hoc unum ex illorum extraordinario inſtituto colligimus, Ignatiana eis planè incognita, vel ab illis deſpecta fuiſſe. *Bed. Hiſt Agnl. l. 3. c. 4.*

Omnibus Dallæi exemplis duo celeberrima ſubtexere non pigebit, quorum alterum à Scytharum Chriſtianorum conſuetudine petitum eſt, in universâ ſiquidem Scythiâ unus fuit Epiſcopus, qui ſedem Tomis habebat, cæteræ Scytharum Eccleſiæ Presbyteris parebant, & ab eis regebantur, etſi multas haberent civitates, ut nos docet Sozomenus lib. 7. c. 19. *Certè in Provinciâ Scythiâ, quamvis multæ urbes ſint, unus eſt omnium Epiſcopus.* Et lib. 6. c. 21. *Hæc Provincia* Scytharum *multas urbes & vicos continet & caſtella. Metropolim autem habet* XXV.

Tomes, urbem magnam & opulentam. Vetus autem illic conſuetudo etiamnum manet, ut totius Provinciæ Eccleſias unus tantùm regat Epiſcopus. Hunc Scytharum morem non attigit Dallæus, non quia contempſit, ſed quia non ſuccurrit, ut amico monenti reſcripſit; & ſanè maximi erat momenti ad argumentum quod tractabat roborandũ; ille quippe uſus Ignatianis legibus planè penitúſque adverſatur; tamen eruditus Pearſonius ex iſto Scytharum more colligit pag. 170. traditionem Ægyptiam de quâ fusè diſſeruimus Ignatianis minimè nocere, neque hinc ſequi eorum ignorationem: & ut fœlicius procedat ejus Argumentatio, obſervat Scytharum Epiſcopum interfuiſſe Concilio Nicæno, *cùm Ignatiana,* inquit, *eſſent notiſſima;* Scytharum Epiſcopum Concilio interfuiſſe teſtatur Euſebius de vitâ Conſtantini lib. 3. c. 7. Sed Ignatiana tunc temporis notiſſima fuiſſe ſcribit nemo: contra affirmare non vereor Patribus Nicænis vel incognita fuiſſe, vel in nullo prætio habita: nam ſi pro germano Ignatij fœtu ea habuiſſent, & ad illorũ notitiam perveniſſent, aliquem condidiſſent Canonem, ut impoſterum ſingulis civitatibus ordinarentur Epiſcopi, nec ſolis Presbyteris adminiſtrandæ crederentur, & ad illud Decretum ſanciendum eò magis

impulſi fuiſſent, quòd plures alibi extra Scythiam eſſent urbes ſine Epiſcopis Presbyterorũ regimini permiſſæ; Hinc factum eſt ut trecenti & octodecim tantùm Epiſcopi Nicæam convenerint, ut diſcimus ex Niceta Choniate, qui præntereà teſtatur in theſauro Orthodoxæ fidei, lib. 5. c. 5. Scytharum morem ad ſua uſque tempora perduraſſe, id eſt ad duodecimum uſque ſæculum: *Cùm enim* (inquit) *nondum civitatibus omnibus ſuus obtigiſſet Epiſcopus, eo factum eſt, ut plures id temporis non convenerint. Provinciarum enim aliæ uni tantùm parebant, ut Scythia ſeu Rußia in hodiernum uſque diem. Aliæ duos, aut ad ſummum tres habebant, ut Dalmatia.* Cùm hoc Nicænis Patribus cõpertum eſſet, nihílque diſciplinæ Ignatianæ magis contrarium fingi poſſet; eos huic malo, decreto quodam obviam ituros eſſe par eſt credere, ſi illis cognitus atque probatus fuiſſet Epiſtolicus Ignatius. Alterum quod adfero exemplum ex uſu penè ſimili deſumptum eſt, obtinebat autem mos ille Iuſtini Imperatoris ætate in Taprobana inſulâ, ubi nullus erat Epiſcopus, ſed Presbyter in Perſide ordinatus Eccleſiam unà cum Diacono ſuo regebat; hoc ita eſſe narrat Coſmas Monachus apud Lucam Holſtenium de Miniſtro confirmationis pag. 39. *Legi*, inquit, *inſignem rela-*

tionem Coſmæ Monachi Indicopleuſtæ de Taprobanâ Inſulâ, quæ nunc Zeilan, olim Seiladiva dicebatur, ubi Iuſtini Imperatoris ætate Eccleſiam Chriſtianorum Presbyter in Perſide ordinatus unà cum Diacono ſuo regebat. Fragmentum Græcum de Topographia Chriſtianâ illius Monachi videre contigit, in quo extat quod de Taprobana inſulâ ex illo deſcripſit Holſtenius, exceptâ temporis notâ, quæ in reliquo opere ſine dubio eſt expreſſa; Græca autem ſic ſonant; *habet hæc Inſula Eccleſiam Perſarum Chriſtianorum ibi peregrè agentium, & Presbyterum in Perſide ordinatum, & Diaconum & omnem Eccleſiaſticam Liturgiam.* His forte addi poſſent quæ obſervat reverendiſſimus Vſſerius de Britannicarum Eccleſiarum primordiis pag. 668. non deeſſe qui unum tantùm in univerſo Pictorum regno Epiſcopum fuiſſe volunt; qui *Abernethij* in Stratherniâ conſederit; ſic enim in Scotichronico ſcriptum invenit his verbis. *His temporîbus fuit locus ille ſedes principalis Regalis & Pontificalis totius regni Pictorum, quando non fuit niſi unus ſolus in regno Epiſcopus.* Quicquid ſit, quot ſunt exempla ejuſmodi, tot ſunt contrà Epiſtolicum Ignatium Argumenta, ſed de his hactenus.

Digitized by Google

IN VINDICIARVM Partem poſteriorem.

EXCUSSIMUS Argumenta externa à teſtimonijs petita, quæ ex tribus primis Centurijs pro ſuis Ignatianis adduxerat Vir doctus, fuſéque demonſtravimus valere adhuc Dallæi objectiones; etſi eas refellere pro virili, ſed fruſtrà conatus ſit eruditus Pearſonius; teſtibus in contrarium à Dallæo allatis auctoritatem ſuam vindicavimus, & præterea duo negativa Dallæi Argumenta expendimus, & Viri docti hypotheſi non parùm nocere oſtendimus, idem de cæteris facilimè oſtenſuri, niſi brevitati ſtuderemus, & obſervationes ſcribere tantùm ſtatuiſſemus. Iam ventilanda nobis ſunt Argumenta interna ex Epiſtolis ipſis ducta, quamvis non tàm Argumenta proponat ipſe Pearſonius, ut in fronte ſeu in titulo promittebat, quàm Dallæi objectiones confutare nitatur. Vt ut eſt præcipua ex I.

Digitized by Google

inſtituti ratione ſeligemus, eaque accuratè examinabimus, ut liquidò conſtet, uter causâ cadat, Dallæus nimirùm, an Pearſonius; ſcribit quidem Vindiciarum Auctor pag. 2. 3. 4. Opus Epiſtolicum de quo lis eſt, Apoſtolico Viro rectè competere, nihílque in eo eſſe quod imposturam prodat, ſed quoniam contrarium ex ſequentibus patebit, non eſt quod in iſtis refellendis immoremur. Obſervat primò Vir doctus de Epiſcopis quidem Aſiæ multa loqui Ignatium, quos ibi tùm fuiſſe conſtat, ídque probat quibuſdam veterum teſtimonijs, imprimis Clementis Alexandrini qui ita loquitur apud Euſebium lib. 3. cap. 23. *Cùm enim ex inſulâ*

Pearſ. c. 1. p. 5.

Patmo Epheſum rediiſſet Ioannes, ad finitimas quoque Provincias rogatus ſe contulit, partim ut Epiſcopos conſtitueret, partim ut Eccleſias integras diſponeret ac formaret, partim etiam ut homines ſibi à divino Spiritu indicatos in clerum quendam ſeu ſortem Domini ſeponeret. Hæc Clementis verba ex eo libro quem inſcripſit, *Quiſnam dives ſalvandus ſit*, deſcripta ſunt, Librum autem integrum anno proximè elapſo edi curavit Franciſcus Combefiſius; Verùm animadvertere debebat Pearſonius; Veteres qui de Epiſcopis à Ioanne inſtitutis loquuti ſunt, ex uſu ſui temporis loquu-

tos, ut nihil dicam de ijs qui juxta Viri docti placita non loquuntur, inſtar omnium erit unus Irenæus cujus hæc ſunt verba apud eundem Euſebium, & in eodem capite mox laudato, *Omnes*, inquit, *Presbyteri qui cum Ioanne Domini diſcipulo in Aſiâ familiariter verſati ſunt, ita ſibi à Ioanne traditum teſtantur.* Presbyteros nuncupat Irenæus, quos Clemens Epiſcopos dicit; Hinc ſequitur vel Irenæum ad Ioannis ætatem reſpexiſſe, Clementem verò ad ſuam, vel utrúmque Presbyteri & Epiſcopi vocibus indiſcriminatim uſum eſſe, quoniam Ioannis Apoſtoli temporibus, idem erat Presbyter qui Epiſcopus, unus idémque gradus, una eadémque dignitas, ſed varijs inſignita nominibus; & ſanè Clemens Alexandrinus in eadem narratione, nomen Epiſcopi & Presbyteri promiſcuè uſurpat: reliqui quos citat Pearſonius ex ſui ſæculi more ſine dubio loquuti ſunt. Secundò ſcribit eruditus Pearſonius Ignatium juxta Euſebij obſervationem munire potiſſimùm Eccleſias adverſus ſuâ ætate pullulantes & latè graſſantes Hæreſes; ſi de ſuâ ætate pullulantibus & graſſantibus Hæreſibus ſolùm ſcripſiſſet Ignatius, veriſimilior eſſet Viri docti ex Euſebio obſervatio; ſed quia de Valentini hæreſi agi- *Id. p. 6.*

tur in Epiſtolico Ignatio, omni prorſus veriſimilitudine caret ejuſmodi obſervatio. Tertiò *Euſebius*, inquit, *Ignatij Epiſtolas tantâ cum diligentiâ deſcripſit, quod ipſæ viſæ ſint Traditionem Apoſtolicam conſervare*; fateor plura eſſe in Epiſtolis quæ etiamnùm extant, quæ doctrinam ſapiunt Apoſtolicam, ſed ideò non ſequitur quin varias præ ſe ferant ſuppoſitionis notas. Inſtat Vir doctus & dicit Ignatium Chariſmatum meminiſſe tunc in Eccleſiâ maximè florentium, & Spiritus ſancti ad ſe nonnunquam loquentis, quod poſteriores facere non ſolent; Chariſmatum meminiſſe potuit Ignatius, cùm eorum meminerint Scriptores Ignatio poſteriores; idem dico de allocutionibus & afflatibus Spiritus ſancti qui Prophetiæ dono plures poſt Ignatij martyrium locupletavit variiſque beavit viſionibus, ut norunt qui hiſce ſtudiis aliquam operam navarunt, & Irenæi, Origenis, & Euſebij ſcripta non indiligenter verſarunt. Tandem aſſerit Pearſonius nihil reperiri poſſe in Epiſtolis quibus de agimus, quod aliam ſeu poſteriorem ætatem ſapiat: Verùm hoc gratis affirmat Vir doctus, cùm de hæreſibus poſt ſe natas loquitur Epiſtolicus Ignatius, ac proinde violationis temporum reum ſe manifeſtiſſimè prodat; nec verum

Id. pag. 8

Id. Ibid.

Id. p. 13.

verum eſt quod addit Pearſonius, pace illius dixerim, Dallæum Epiſtolas ipſas *accuratiſsimè inſpicientem & diligentiſsimè rimantem*, nihil adhuc hujus generis offendiſſe; contrarium certè ex ijs quæ ſcripturi ſumus patebit, & ita dilucidè ut in dubium vocari nequeat, quin Valentini hæreſis poſt Ignatij mortem orta, Epiſtolarum conſarcinatori cognita fuerit.

Hiſce delibatis pergit Vir doctus, & ut ea quæ Dallæus adverſus Epiſtolas Euſebio cognitas ex ipſis obſervavit, nullam omnino ad earum Autoritatem imminuendam vim habere oſtendat, profitetur ſe eodem ordine quo Dallæus perſcripſit ſingulatim omnia perſequuturum eſſe. Incipit autem Dallæus ab argumento à tempore ducto, & cap. X. affirmat *non pauca paſsim occurrere, quæ ſtatam atque immotam temporum fidem, certiſsimum veritatis* κριτήριον, *graviter pulſant ac convellunt*; plura ejuſmodi adfert in illo capite, ſed præter unum Hieronymi teſtimonium, cætera Vindiciarum Auctorem non feriunt, quoniam deſumpta ſunt vel ex Epiſtolis quas ipſe rejicit, vel ex interpolationibus quibus contaminatæ fuerunt, quas pro germanis habet; Dallæus videlicet, *hoc Ignatianarum Epiſtolarum negotium ſimul ſemelque totum tractare in ſe ſuſcepit*; ideóque II. *Pearſ. c. 2. p. 15.*

V

ex omnibus Epiſtolis juxta inſtituti rationem argumenta deſcripſit, ut opus integrum Ignatio abjudicaret; immeritò igitur Dallæi propoſitum ſugillat Vir doctus pag. 14. quaſi lectorum oculis nebulam obtendere, & Theologorum Anglorum ſententiæ ſæpè inſidias ſtruere voluiſſet; ſi candorem præſtantiſſimi illius Theologi noviſſet Pearſonius, non adeò iniquum de eo judicium tuliſſet; ſed miſſam faciamus præpoſteram Vindiciarum Auctoris reprehenſionem, & Hieronymi teſtimonium expendamus, quod ita ſe habet, *Nunquid non poſſumus tibi totam veterum Scriptorum ſeriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Iuſtinum martyrem, multóſque alios Apoſtolicos & eloquentes Viros, qui adverſus Hebionem, & Theodotum Byzantinum, & Valentinum, hæc eadem ſentientes plena ſapientiæ volumina conſcripſerunt; quæ ſi legiſſes aliquando, plus ſaperes.* Hinc colligit Dallæus Ignatium ſcripſiſſe adverſus Theodotum & Valentinum, quod cùm vero Ignatio competere non poſſit, quia denatus erat ante natas iſtorum hæreſes, de Epiſtolico interpretatur verba Hieronymi, cui ſolus Epiſtolicus Ignatius ex Euſebio notus erat: conſequentiam probat Dallæus ex eo quod Polycarpus, Iuſtinus, aut Irenæus contra

Hieron. adu. Heluid. c.9.

Theodotum non ſcripſit, neque ſcribere potuit ſi illum audimus, ut planè neceſſe ſit ad Ignatium referri, quæ de Theodoto dicit Hieronymus; verùm Viri τοῦ μακαρίτου pace dixerim, hæc partium enumeratio non uſquequáque perfecta mihi videtur; Nam Hieronymus de multis alijs Apoſtolicis viris loquitur, qui quidem viri Apoſtolici, ſolos Apoſtolorum diſcipulos non complectuntur, ſed eos etiam ſi Pearſonio fides, qui Apoſtolorum diſcipulis familiariter uſi ſunt, temporibúſque Apoſtolicis vicini fuerunt: ſolis tamen Apoſtolorum diſcipulis cōgruere Hieronymi verba putat Clariſſimus Dallæus, ac proinde ad Epiſtolicum Ignatium pertinere quæ de Theodoto ſcripſit antiquus ille Eccleſiæ doctor; ſed quia anguſta nimis eſt juxta Pearſonium iſta *viri Apoſtolici* notio, conſequentia Dallæana ei non omninò neceſſaria videtur; quare illam iſtis exceptionibus pulſare non veritus eſt eruditus Pearſonius; ſed propterea ſuperior non extitit; Nam donec conſtet quis ex illis viris Apoſtolicis adverſus Theodotum ſcripſerit, Hieronymi verba non minùs Ignatio congruent quàm cæteris, non mirum igitur ſi Dallæus ex illis argumentatus ſit, nec mirum pariter ſi Pearſonius aliquid ex ijſdem adverſus Dallæi argu-

Digitized by Google

mentum exceperit; ambo enim ita agunt, ut in dubio maneat lectoris animus utriúſque reſpectu ; Dallæus ſiquidem ſemper affirmabit Ignatium ſcripſiſſe adverſus Theodotum , quæ cùm de vero Ignatio dici nequeant, de Epiſtolico erunt intelligenda , ſèque hac ratione tuebitur, nullum alium Apoſtolicum virum adverſus eum ſcribere potuiſſe ; Pearſonius verò hanc Dallæi aſſertionem negabit , ob hanc præſertim rationem, quod Hieronymus loquitur de multis alijs Apoſtolicis Viris, per quos Vindiciarum Auctor non ſolos Apoſtolorum Diſcipulos intelligit, ſed etiam diſcipulorum ipſorum auditores, & in genere ſcriptores omnes Catholicos qui temporibus Apoſtolicis vicini fuerunt. Negare non poteſt Dallæus hanc vocis *Apoſtolici* ſignificationem uſitatam eſſe ; ſed fateatur etiam Pearſonius neceſſe eſt , ſolis Apoſtolorum diſcipulis ac auditoribus non ratò congruere , ſi poſteriorem ſequimur notionem vincit Dallæus , ſi priorem convellitur illius argumentatio ; etſi fortè non penitùs refellatur ; nihil certi igitur ex eruditorum virorum diſputatione elicere poterit lector, niſi priùs inter ſe conveniant de vera iſtius vocis in Hieronymi verbis ſignificatione ; intereà obſervo non planè Pearſo-

Digitized by Google

nio cum Auguſtino convenire Nazareorum reſpectu; Pearſonius ſiquidem exiſtimare videtur Nazaræos idem de Chriſto ſentire cum Ebionæis pag. 22. 32. 35. 57. Auguſtinus tamen utróſque ita diſtinguit, ut Ebionæos Chriſtum merum hominem dicere; Nazaræos autem eum Dei filium confiteri diſertè affirmet; & veriſimile eſt Nazaræos illius Ebionæorum claſſis eſſe, qui Chriſtum ex Virgine & Spiritu ſancto natum dicebant, ut teſtantur Origenes, Euſebius & Theodoretus, cùm cæteri eum ex Mariâ & Ioſeph genitum docerent.

Caput undecimum Dallæi intactum relinquimus, ea enim quæ in illo obſervantur, vel vindiciarum Auctorem non tangunt, vel tanti non ſunt momenti ut nos detinere debeant, ideóque prætermiſſo iſto capite ad duodecimum properamus, in quo extat palmerium ut ita dicam ex ipſis Epiſtolis adverſus Ignatiana deductum Argumentum; ſcribit quippe Clariſſimus Dallæus Epiſtolas quas habemus, Valentini λόγον ἀ *Sige* proceſſiſſe fingentis, delirium diu poſt Ignatij mortem, editum & ſparſum, diſertis verbis memorare & refutare, unde colligit nothas eſſe ac ſpurias, cum nulla major aut illuſtrior ſuppoſitionis nota proferri queat quàm III.

ejuſmodi temporum violatio: Nam quomodo quæſo verus Ignatius hæreſim poſt ſuum Martyrium exortam notare & perſtringere potuit? Hoc ſuum argumentum fuſè perſequitur Dallæus per totum caput ſexdecim conſtans paginis, idque ab omnibus exceptionibus magnâ diligentiâ ut ſolet vindicare conatur; Pearſonius verò in eo argumento quo ſummopere urgetur refellendo, quinque inſumit capita, 3. 4. 5. 6. 7. paginas videlicet circiter 63. Verba ex quibus argumentatur Dallæus, reperiuntur in Epiſtola ad Magneſianos; *Vnus Deus eſt, qui maniſtavit ſeipſum per Ieſum Chriſtum Filium ipſius, qui eſt ipſius verbum æternum, non à ſilentio progrediens*; ὐκ ἀπὸ Σιγῆς προελθών. De verborum veritate nulla lis eſt Dallæum inter & Vindiciarum Auctororem, extant ſiquidem in Vſſerij, & Voſſij editionibus illius Latina, hujus Græca; quamvis neſcio quo facto in vulgatis Ignatij Græcis Latiniſque editionibus, quædam alia verba iſtorum loco habeantur; Conjiciebat Dallæus hanc mutationem conſultó & ob aliquam rationem ab interpolatore factum fuiſſe,
Dall. pag. 294. nempe *veritas eſt nè iſta ſi legerentur, Epiſtolas non Ignatij, ſed alteriùs recentioris eſſe proderent, viditque iſtam Verbi* ſcilicet *à Sige emanationem Valentinum Ignatio recen-*

tiorem olere : eò delendam putavit, nè perſonati Ignatij drama proderet. Hanc Dallæi conjecturam ridet Pearſonius, etſi omni prorſùs veriſimilitudine non careat : nec obſtat quod ſcribit Vindiciarum Auctor, non ita ſibi caviſſe Interpolatorem, quin plura loquutus ſit, quæ tria poſt Valentinum ſæcula ſaperent ; fateor planos & impoſtores non ſemper ſibi cavere, nec ita rebus ſuis proſpicere, vt nihil eis planè excidat quod illorum adverſetur propoſito ; ſed fateri debet etiam Vir doctus non malè aliquando rebus ſuis providere iſtiuſmodi conſarcinatores, & ea ſæpiſſimè expungere ſolere, quæ eorum judicio impoſturam prodere poſſent, fraudémque aperire, quæ ſibi nocere putant iſti homines eradunt, vel ſaltem ea ad ſuum propoſitum ſuffectis alijs verbis detorquere conantur ; quæ ſibi adverſari non animadvertunt, prætereunt, vel ſi aliquâ ſollicitantur ſuſpicione, ea aliquomodo incruſtata & immutata propinant, ſed quia deeſt illis in pluribus ſagacitas atque ſolertia ingenij acumen, rerumque multarum notitia ; fieri non poteſt quin edant alicubi figmentorum ſuorum ſpecimina, & ſeipſos fraudis & impoſturæ reos agant ; ſic ſe geſſit Ignatianarum Epiſtolarum interpolator, qui

Pearſ. p. 27. 28.

Digitized by Google

Dall. pag. 295. Dallæi conjecturæ locum dedit; conjecturam autem ſuam ſuffultam volebat, primùm mirifico quodam Petavij effugio, quo illa de *Sige* verba à Valentini ſenſu abducere conatus eſt. Quid ad hæc Vir doctus; dicit Dallæum aliter atque aliter de Petavio ſentire; quaſi verò crimen ſit de celeberrimo illo Ieſuita ita ſentire; dùm vera narrat ac ſequitur, à Dallæo probatur, dum falſa ſcribit rejicitur: nihil aliud hoc in loco ſibi vult Dallæus, niſi Petavium verba de quibus controvertitur, Valentinum notare vidiſſe, & ea propter plura excogitaſſe, ut illa à Valentini ſenſu abduceret; ſecundò aſſerit ibidem Dallæus verba iſta ad Valentini dogma adeò apta atque apposita eſſe, ut etiamſi mens auctoris aliò, dùm ea ſcriberet, reſpexiſſet: fieri tamen non potuerit, quin ea Irenæus ſi noſſet, arriperet, & contra Valentini expoſitum à ſe ſomnium alicubi uſurparet; cui ſcilicet adeò bellè congruunt, ut in id ipſum primò ab Auctore deſtinata non poſſint non videri, ſi totam orationem ſimpliciter, & abſque ullo præjudicio legeris: conſtat tamen Irenæum nuſquam in totâ contra Valentinianos diſputatione, horum verborum meminiſſe. *Pearſ. pag.* 30. Reſpondet Pearſonius non ita diſputaſſe Salmaſium, non Albertinum,

tinum, qui ſcriptas fuiſſe has Epiſtolas ante Irenæi libros ultro fatebantur, neque eas Irenæo incognitas fuiſſe vel ſomniabant; de Dallæo agitur, non de Salmaſio aut Albertino, ideóque recténe an malè ſenſerit Dallæus inveſtigandum; pergit Vir doctus & hanc Dallæi concluſionem reprehendit. *Ergo* inquit Dallæus pag. 295. *undecúnque hæc verba ſumpta ſint, & quicúnque ſit eorum de cætero ſenſus, illa tamen evidens nobis Argumentum miniſtrant, ad demonſtrandam harum Epiſtolarum novitatem ac ſuppoſitionem.* Itáne ait Pearſonius pag. 30. *quicúnque ſit horum verborum ſenſus:* Ita profectò Vir doctiſſime, Dallæus enim ut quivis videt loquitur per conceſſionem, quaſi diceret, ne diutiùs digladiemur de loco unde hæc verba deſcripta ſunt, quia videlicet in vulgatis editionibus non extant, neque de ſenſu, quia nimirùm nullus affingi poteſt, qui Valentini hæreſim non pulſet: Hanc autem fuiſſe clariſſimi Dallæi mentem ex ſequentibus patet, *ſed Auctorem,* inquit, *hæc verba ſcribentem, illuc ſpectaſſe, quo ipſa feruntur, & in eum, quem feriunt, ſcopum rectà collineaſſe: quis dubitet? Ipſa autem in Valentinum ferri, ejuſque delirium reàpſe ferire, non eſt, ut opinor, obſcurius.* Pæniteat ergo Vindiciarum Au-

ctorem ſuæ in Dallæum reprehenſionis, quando legitima eſt Dallæana conſequentia, ex Irenæi ſilentio ducta: Quæ addit Pearſonius de Marcello nihili ſunt, aliud enim fuit de *Verbo* Marcelli figmentum, aliud Valentini, & ingens inter utriúſque *ſilentium* diſcrimen. *Silentium* quippe Marcelli præceſſit *Verbum*, ſed non produxit; Valentini verò *ſilentium*, *Verbum* anteceſſit & genuit; verba autem Ignatiana Valentini *Verbum* feriunt, ea igitur verba adducturum fuiſſe Irenæum contra Valentinum ſcribentem, ſi ei nota fuiſſent, par eſt credere, illa enim ſi ſuâ ætate extitiſſent non potuit ignorare Irenæus, imprimis cùm auditor fuerit Polycarpi, Ignatianarum Epiſtolarum, ſi earum patronos audimus, Collectoris. Iam nemo non videt non adeò levem eſſe antecedentium conjecturarum velitationem, ut perſuadere conatur eruditus Pearſonius, nec ab eo ut aſſerit difflatam eſſe; Quicquid ſit ad Argumentum ipſum à Valentino ductum accedit: útque illud nullam vim ad elevandam Ignatij autoritatem, immò nè ſpeciem quidem aut veriſimilitudinem continere oſtendat, quatuor propoſitionibus rem omnem ſe complexurum profitetur, quibus & veritatem luculenter exponet, & omnibus Adverſariorum obje-

ctionibus manifeſtiſſimè occurret. Magna ſunt quæ pollicetur Vir doctus, ideóque majorem laudem conſequetur, ſi fidem liberare & promiſſis ſtare poteſt; Eum igitur ſequamur, illiúſque rationes & argumenta expendamus, ut poſt accuratum examen veritas ſi fieri poteſt magis ac magis eluceſcat.

IV. Quatuor propoſitionibus totidem aſſignavit capita, ita ut unaquæque ſuum habeat caput; prima Aſſertio caput quartum complectitur, & iſtis concipitur verbis, *Autorem Epiſtolæ ad Magneſios verbis ex eâ prolatis hæreſin Ebionitarum, neque ullam aliam reſpexiſſe.* Aſſertionis probationem hanc adfert; *Duæ*, inquit, *conjunctivæ particulæ, una initio huiuſce ſententiæ, altera principio ſequentis inſerta, ſatis manifeſtè oſtendunt quo tota ſententia referenda ſit, & ad quid Autor Epiſtolæ, cùm eu ſcriberet, collineârit.* Pertendit autem Vir doctus, Ebionem diſertè ferire, & antecedentem ſententiam quæ particulâ rationali *enim* ſive *nam* indicatur, & ſequentem quæ particulâ illativâ *igitur* deſignatur. Antecedens hæc eſt, *ſi enim uſque nunc ſecundum Iudaïſmum vivimus, confitemur gratiam non recepiſſe.* Sequens ſic ſe habet, *ſi igitur in veteribus rebus converſati, in novitatem ſpei convenerunt.* pag. 33. 34. 35.

Digitized by Google

Verba autem quæ ex eadem ad Magneſios Epiſtolâ adfert Dallæus, & quæ peculiarem Valentini hæreſis characterem continere aſſerit, media ſunt inter utrámque ſententiam ab Auctore Vindiciarum deſcriptam; ultrà progreditur eruditus Pearſonius, & quia Ebionæi Iudaïcis addicti erant conſuetudinibus, affirmare non dubitat, Epiſtolæ ſcriptorem directè adverſus Ebionem & ſequaces militare, & cùm Chriſtum dixit *Verbum æternum*, id breviter explicare ijs verbis, *non à Sige procedens*, ſeu ut vertit Pearſonius *non à ſilentio proveniens*, quemadmodum, inquit, verbum ſeu ſermo omnis qui æternus non eſt: addit Vir doctus hanc adjectionem, *non à Sige procedens*, nihil aliud eſse quàm exegeſim ſive explicationem æternitatis Verbi, eámque planè naturalem & obviam, & ſine ullo reſpectu ad aliam aliquam peculiarem hæreſin maximè propriam, reddentem veram notionem æterni verbi, & ab alio verbo non æterno rectè diſtinguentem; quia hic eſt omnium hominum vulgaris de verbo conceptus, ut quod ſilentium reſpiciat, ſitque præcedentis ſilentij ſolutio, quod probat pluribus teſtimonijs, ex ſacris & profanis Scriptoribus deſumptis. Hæ ſunt primæ Viri docti ad Dallæi argumentum

Digitized by Google

exceptiones, ingenioſiſſimæ ſanè & acutiſſimum Vindiciarum Auctoris ingenium redolentes; ſed vereor ne plus ſubtilitatis habeant quàm ſoliditatis, nam ut à noviſſima incipiam, quid opus erat explicatione iſtâ æternitatis Verbi, *non à Sige procedens*, ut ab alio verbo non æterno diſtingueret; Nonne *æterni* epitheto, à verbo humano quod ſilentium rumpit in tempore, ſatis ſupérque diſtinguebatur? æternum enim & temporale, ſi ita loqui fas eſt, contradictoriè opponuntur, [illegible] fieri poteſt ut quod ab omni parte [illegible] æternum, ſit temporale, neque temporale æternum, qui dicit æternum omnia quæ in tempore fiunt, æternitatis jure dejicit atque deturbat; ſi igitur Epiſtolæ ad Magneſios ſcriptor tantùm in animo habuit Chriſtum Verbum æternum, à Verbo humano quod in tempore fit & citò tranſit diſtinguere, ſolâ *æterni* voce propoſitum finem eſt conſecutus; nec aliâ ullâ ad rem per ſe claram & omnibus obviam enodandam explicatione egebat. Sed aliud eſt notatu digniſſimum Chriſtum videlicet non ſimpliciter dici *Verbum æternum*, at *Verbum Dei æternum*; En tibi Epiſtolæ Ignatianæ verba, *unus Deus eſt, qui manifeſtavit ſeipſum per Ieſum Chriſtum filium ipſius, qui eſt ipſius Verbum*

æternum: Quoniam autem nota erat Auctori Epiſtolæ Valentinianorum hæreſis, qui Verbum à ſilentio progredi docebant, hæc verba continenter ſubjecit, *non à ſilentio progrediens*, ut ita veram Chriſti Verbi æterni originem indicaret, & à falsâ ſecerneret, docendo nimirum Chriſtum Verbum æternum à Deo Patre verâ in Divinis perſonâ provenire, ut fert Evangelium, non autem à *Sige* ut hariolabantur Valentiniani, qui Verbum à ſilentio, tanquam à perſonâ divinâ, ſequioris tamen ſexus, gigni ac procreari falsò comminiſcebantur. Cætera quæ in eadem Epiſtolâ ad hæreticum Valentini dogma ſpectant lubens prætermitto, quia de illis alius erit dicendi locus; Interim expendamus num directè Ebionem feriant Ignatij Epiſtolici verba, ut vult Vindiciarum Auctor; ſolos enim Ebionæos ea petere ac jugulare contendit pag. 33. 34. 35. & cap. 5. pag. 56. 57. neque id ſolum, ſed prætereà ſibi gratulatur pag. 35. quod de Hæreſi Ebionis ea dixerit, quæ nondum à quopiam dicta ſunt.

V. Gratuletur ſibi eruditus Pearſonius per me licet, gloriæ ejus non invideo, neque illi quicquam detractum volo; ſed ſpero fore ut etiam mihi ignoſcat ſi in ejus ſententiam pedibus non concedo; plura

ſiquidem ſunt quibus moveor ut aliter ſentiam; 1. Hæretici quos ferit Scriptor Epiſtolæ ad Magneſios Chriſti mortem negabant, quod de Ebionæis dici nequit, cùm de veritate mortis ac reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti minimè dubitarent, neque illi qui eum ex Viri cum Mariâ concubitu procreatum cenſebant, neque alij qui Chriſtum ex Virgine & ex Spiritu ſancto genitum fatebantur: utríque enim *diebus Dominicis eadem quæ nos*, inquit Euſebius Hiſt. l. 3. c. 27. *in memoriam reſurrectionis Domini peragebant*: Theodoretus itidem Hæret. Fabul. lib. 2. *Dominicam more noſtro ſanctificant.* Diem verò Dominicam in memoriam reſurrectionis Domini ſanctificare non poterant; niſi de veritate mortis ejus planè penitúſque perſuaſi eſſent. Ebionæos igitur non notat Epiſtolæ Auctor, ſed Hæreticos qui mortem Chriſti negabant ac proinde ejus reſurrectionem; neque alibi id diſertius teſtatur Epiſtolicus ſcriptor, quam in illa pericope cujus primâ & ultima verba adduxit Pearſonius, relictis medijs quæ utríſque cohærent, & quæ diximus firmiſſimè probant: ſic enim Vir doctiſſimus, *ſi* *Pearſ.* *igitur illi diviniſſimi Prophetæ in veteribus* *P.* 57. *rebus converſati, in novitatem ſpei venerunt, non amplius ſabbatizantes, ſed ſecundum Do-*

minicam vitam viventes, &c. quomodo nos poterimus vivere ſine illo, cujus & Prophetæ diſcipuli exiſtentes, ſpiritu ipſum ut Doctorem ſpectabant. In iſtis verbis nulla prorsùs fit mentio Hæreticorum Chriſti mortem negantium; at ſi verba interjecta deſcribimus, nullus ſupererit dubitandi locus, ita enim Græca Latinè reddimus, *ſi igitur in vetuſtis rebus verſati, ad novitatem ſpei venerunt, non ampliùs Sabbatizantes, ſed juxta Dominicam vitam viventes, in quâ & vita noſtra exorta eſt per ipſum & mortem ipſius, quam quidam negant: per quod myſterium fidem accepimus, & propter hoc ſuſtinemus, ut inveniamur diſcipuli Ieſu Chriſti, ſolius Doctoris noſtri.* Non me latet veterem Vſſerij Interpretem hæc Græca verba ὅν τίνες ἀρνοῦνται ſic tranſtuliſſe, *quod quidam negant*; cùm tamen articulus Græcus qui pronominis relatiui vices agit, generis ſit maſculini, alij ad Chriſtum ipſum referentes, ſic reddiderunt, *quem quidam negant.* Ego verò contextui inhærendo, cum propinquiore ſubſtantivo, *morte* videlicet, conſtruxi hoc pacto, *quam quidam negant*; Et ad hoc in primis inductus ſum aliâ ejuſdem Epiſtolæ pericope quæ paulò poſt ſequitur his verbis; *Hæc autem ſcribo dilecti mei, non quod cognoverim aliquos veſtrûm ſic eſſe affectos,*

ſed

ſed ut minor vobis, cupio vobis proſpectum, ne incidatis in hamos inanis gloriæ, ſed ut plenè certiores redderemini eorum quæ in nativitate & paßione, & reſurrectione, quæ contigit tempore præfecturæ PONTII PILATI, verè & indubitanter geſta ſunt à Ieſu Chriſto, ſpe noſtrâ. Quis non videt cuncta Hæreticos illos petere qui veram Chriſti mortem ac reſurrectionem oppugnabant, non verò Ebionem qui utrámque ultrò confitebatur: Valentiniani quidem aliquam Chriſto ſuo paſſionem ac reſurrectionem tribuebant; ſed quia omnia in illis ficta erant ac commentitia, neque de eis dici poſſit quòd *verè & indubitanter* factæ ſint, plus quàm veriſimile eſt Scriptorem Epiſtolæ ad Magneſios, ad eos feriendos rectà collineaſſe, eorúmque figmentum configere in animo habuiſſe. 2. Liquet Auctorem Epiſtolæ eos tangere Hæreticos qui Ieſum à Chriſto ſeparabant, & utrúmque à Verbo dividebant, quod in Ebionæos cadere non poteſt: Ebionæi ſiquidem Ieſum & Chriſtum pro uno eodémque habebant, neque illum, ut opinor, Verbi nomine unquam indigetabant, ſolum enim Evangelium ſecundum Hebræos recipiebant, id eſt Evangelium ſecundum Matthæum Hebraïcè ſcriptum, ſed interpolatum &

Digitized by Google

mutilatum, in illo autem Evangelio, nulla prorsùs Verbi mentio; ſed in Evangelio ſecundum Ioannem; fateor equidem
Epiphan. Hær.30. Epiphanium obſervare, ut ſcribit Pearſonius p. 57. quòd S. Ioannes *refutat Ebionæos omnibus modis, dicens, quòd*, in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Verbum erat Deus. Sed hiſce verbis S. Ioanni tantùm propoſitum fuit Domini noſtri Ieſu Chriſti æternitatem conſtituere, adverſus impiam Ebionæorum opinionem, qui illum nudum hominem aſſerebant, non autem alicujus Ebionæorum Verbi nomenclaturam & naturam perſtringere: Idem planè dico de verbis Euſebij à Viro docto allatis pag. 57. adverſus Ebionæos qui Chriſtum ex Virgine & Spiritu S. genitum eſſe non negabant, cùm tamen ante omnia illum extitiſſe non faterentur, *utpote*, ait Euſebius, *Deum Verbum & ſapientiam*, nempè
Euſeb. Hiſt. l.3. cap. 27. Euſebius hæc duo Epitheta Chriſto tribuit, non ipſi Ebionæi, qui Chriſtum ſub Verbi notione, meo ſanè judicio non agnoſcebant; At Epiſtolæ ad Magneſios Scriptor Hæreticos ferit, qui non ſolùm alium eſſe Ieſum, alium Chriſtum, alium denique Logum ſeu Verbum fabulabantur, neque illius æternitatem modò impugnabant, ſed etiam à Patre, id eſt à ve-

ro Deo exire negabant, à *Sige* enim illud progredi fingebant; ut igitur Epiſtolicus Ignatius veri Dei Verbum à fictitio Valentini Verbo ſemoveret, illud *non à Sige procedere*, diſertè affirmat.

VI. Sed inquit Vindiciarum Auctor Ignatius hortatur ut à Iudaïſmo recedant qui Chriſtianiſmum amplectuntur, ſcilicet Epiſtolæ Auctor quiſquis ſit, occaſione ſumptâ à veteribus Valentinianorum fabulis, quas initio pericopes tetigit, Magneſios monet ut à vetuſtis rebus ad ſpei ac vitæ novitatem transferantur; ſed ita tamen ut in utráque pericope eos petat ac jugulet, qui Verbum à *Sige* non à vero Deo progredi comminiſcebantur, & Chriſti mortem negabant, quorum illud in priori, hoc in poſteriori notat pericope, nec obſtant duæ conjunctivæ particulæ quibus innititur Viri docti argumentatio, cùm liquido conſtet Epiſtolæ verba Ebionitis competere non poſſe. Quæ ſequuntur in reliquo capite facili negotio ſolvuntur, immò jam occupata fuerunt; cum enim non aliò tendant, quàm ad oſtendendum verba de quibus lis eſt ſolos ferire Ebionitas, non eſt quòd ijs refellendis tempus fruſtrà inſumamus, quando luce meridianâ clarius demonſtravimus ea in Ebionæos cadere non

Digitized by Google

poſſe: Multa dicit de diſcrimine verbi divini & humani, & quia Petavius eodem confugerat, ut ictum lethalem à ſuo Ignatio depelleret, multus eſt Pearſonius in celeberrimo illo Ieſuita tuendo; plura urget exempla, quæ Ignatiano ſimilia affirmat; ut ſuam verborum iſtorum, *non à Sige progrediens* interpretationem defendat, ea videlicet nihil aliud eſſe quàm exegeſin & explicationem æternitatis Verbi divini, ut ab omni verbo ſive ſermone creato & humano diſtinguatur. Sed profectò nullum adferre potuit exemplum in quo verbum humanum *à ſilentio progredi dicatur*, eſt quidem ſermo ſilentij ſolutio, at inde non ſequitur ſilentium cauſam eſſe ſermonis aut principium; hæc autem verba *à Patre exire*, ut loquitur Epiſtolicus Ignatius, verum generationis Chriſti principium indicant, non ſimpliciter terminum à quo cœperit generatio; Ergo & *à Sige exire filium*, quod negat Epiſtolæ ſcriptor, eodem quoque ſenſu intelligit, nimirum *à Sige exire*, ut à matre, ut à generationis, non ſimplici, unde cœperit termino, ſed vero principio; adducat Vindiciarum Auctor, phraſes Ignatianæ æquales, quæ ſimplicem generationis terminum ſignificent non verum principium; nam donec talia protu-

lerit exempla, irriti erunt omnes illius conatus, etiamſi opem ei ferat Ariſtoteles, docens privativa eſſe principia, *ex quibus,* inquit Pearſonius, *ſatis propriè aliquid fieri aut prodire dicitur*; Præterquam enim principia ejuſmodi non probantur hodie Viris eruditis, qui Phyſicæ arcana accuratiùs quàm Ariſtoles rimati ſunt; certè Ignatianæ iſtius locutionis idonei interpretes non mihi videntur Philoſophi, neque ad eam intelligendam eorum præceptis opus eſt, cùm nihil proclivius ſit quàm illam de principio rei conſtitutivo interpretari, quod de ſilentio dici nequit; Ergo *ſermonem à ſilentio exire,* locutio abſurda eſt; ſi verò μετὰ pro ἀπὸ cum Petavio quem tuetur Pearſonius, uſurpas, abſurdior erit, nam peregrina eſt & inuſitata illa vocis ἀπὸ ſeu *ab* ſignificatio, ad quam ideò non recurrendum, niſi urgente neceſſitate, quæ hic locum non habet; neque melius procedet Viri docti exceptio, ſi loco horum verborum *à ſilentio,* reponas iſta *ex ſilentio*, & deinde *ex* cum *poſt* commutes, legáſque *poſt ſilentium* nulla ſiquidem talis ſit commutatio, niſi fortè de tempore agatur, &ættereà non *ex ſilentio* dixit Epiſtolæ ſcriptor, ſed *à ſilentio*; Quæ tandem obſervat Pearſonius de voce προελθεῖν, nihili planè ſunt, nec Dal-

læi interpretationem ullo modo convellunt; Etiamſi Valentiniani aliâ voce quoque uſi ſint ad ſuorum Æonum emiſſiones ſignificandas, ut ſcribit Vir doctus p. 39. nam varias ad id ſignificandum voces eos uſurpaſſe nihil vetat. Porrò hæ ſunt meræ logomachiæ, & argutiæ Viro doctiſſimo indignæ; quia videlicet Dallæi argumentum refellere non poteſt, neque telum validá manu in Ignatium ſuum contortum retorquere, mira quærit effugia eruditus Pearſonius, neſcio quas vocum permutationes excogitat, & proprijs vocibus ſuâ ſede depulſis, alias tanquam illarum vicarias ſufficere ſatagit; Qui ſic agit ſe victum fatetur, & ad incitas quodammodò redactum.

VII. Sed forſan fœlicior erit Vindiciarum Auctor in ſtabiliendâ ſecundâ Aſſertione, quâ aſſerit cap. 5. verba illa *non à ſilentio ſeu Sige progrediens*, ut ſunt ab Autore Epiſtolæ ad Magneſios prolata, ad Valentinum omninò non ſpectare, nec ſine violentâ detorſione ad ejus hæreſim exponendam & oppugnandam applicari poſſe. Verùm quando Dallæus contrarium planè affirmat; illum audire neceſſe eſt, antequam ad examen revocemus rationes quibus Pearſonius affirmationem Dallæanam pulſare, ac convellere cona-

tur. Obſervat igitur Dallæus cap. 12. pag. 295. 296. Irenæum duobus locis omnem Valentini Matæologiam exponere; ſtatim in libri limine, & Paulò poſt capite quinto. Primum enim caput, inquit, ad Valentinum pertinere oſtendit, & præfixus ei titulus, & ipſa operis præfatio. Quod hoc pacto probat, Irenæus Valentinum fabuloſam ſuam divinitatem ſic diſpoſuiſſe tradit, ut quemdam ante & ſupra omnia Æonem in ſublimitatibus conſtitueret, quem *Proarcham*, & *Propatora*, & *Bython* vocaret, (unde Tertulliani iocus, *id nomen in ſublimitatibus* habitanti minimè congruere) una cum Bytho extitiſſe *Ennoeam* quamdam, quam & ipſam quoque *Charin*, & *Sigen* nuncuparet: Ex Bytho in hanc Sigen immiſſione prodiiſſe *Nun* (quem & *Monogenem*, & *Patrem*, & *Principium* rerum appellaret) & cum eo *Alethiam*, id eſt veritatem: Nun porrò, & ſuam Alethiam emiſiſſe λόγον καὶ Ζωὴν *Verbum & Vitam.* Capite inde quinto eadem apud Irenæum occurrunt, innominabilis primò δυὰς, ſive (ut habet vetus interpres) *dualitas*, *Arrethum* ſive *inenarrabilem* (eum ipſum quem *Bython* priùs dixerat) & *Sigen* continens; tum altera ex hac prima prodiens *Patris* (qui idem cum Nun, & *Alethiæ*

Δύας, & ex hac itidem emiſſa *λόγυ καὶ Ζωῆς Verbi* & *Vitæ Δύας*, ſive dualitas tertia, & ex hac item quarta *Δύας homo & Eccleſia*; ſed & præter hanc Æonum Ogdoadem, alios inſuper XXII. variè ab illis primis emiſſos induxiſſe Valentinum, ut eſſent univerſi XXX. quorum ultima Syzygia *Theleti* eſſet & Sophiæ. Præterea Chriſtum & Ieſum à Verbo diviſiſſe; & Chriſtum quidem finxiſſe extra aliorum Æonum pleroma à matre Sophia, ut puto, procreatum, exciſâ à ſe umbrâ ad pleroma reverſum eſſe; Ieſum verò variè, modò à *Theleto*, modò à *Chriſto*, interdum ab homine & Eccleſiâ ortum dixiſſe, ſed & eum cæteros Æonas ornaſſe, in hunc unum conferentes, quod optimùm ſinguguli atque pulcherrimum habebant. Eadem de Valentinianorum Theogoniâ Tertullianus, Epiphanius & alij, quorum nemo eſt, qui non ex *Sige* eductum à Valentino Logon, vel immediatè ut à matre Filium; vel certè mediatè; ut ab aviâ nepotem commemoret. Hactenus præſtantiſſimus Dallæus.

VIII. Quid ad hæc reſpondeat doctiſſimus Vindiciarum Auctor, jam expendamus, primò diſertè negat à Valentino unquam dictum & aſſertum eſſe, *Verbum à Sige progredi*, aut talem reperiri Genealogiam

in

In iis Fragmentis Valentinianorum quæ etiamnùm extant, & in quibus quis Æon à Sige emiſſus ſit, & ex quo Æone emiſſus ſit Logus diſertè docetur. Vnum ex his apud Irenæum, alterum apud Epiphanium extare fateor, ſed in neutro Logon ex Bytho & Sige emiſſum eſſe dici nego; ſi Dallæus Logon *ex Sige* immediatè ut à matre filium juxtà Valentinum emiſſum eſſe ſcripſiſſet, aliquem fortè colorem haberet Viri docti argumentatio, at cùm Logi ex Bytho & Sige emiſſionem vel immediatam vel mediatam propoſuerit, & utramvis admittendam eſſe aſſeruerit; incaſſum laborat Vir doctus ut hanc Dallæi opinionem ſollicitet & labefactet; ipſe enim diffiteri non audet, quin in Fragmento Irenæano, *Logus* ex *Bytho* & *Sige* ut ab avo & avia nepos eductus commemoretur, nempe mediantibus *Nu* & *Alethia*: Et ſanè Irenæus Æonum Valentinianorum combinationes hoc diſponit ordine, *Bythus & Sige, Nus & Alethia ſeu veritas, Logus & Zoe ſeu vita*; Logus igitur à Bytho & Sige educitur ut ab avo & avia nepos, à Nu verò & Alethiâ immediatè ut à parentibus filius nec aliter has fabuloſas conjugationes percenſent Tertullianus contra Valentinum cap. 7. & 8. Philaſtrius & Auguſtinus de Hæreſibus, *Iran. lib. 1. cap. 1. & 5.*

Theodoretus Hæreticarum Fabularum lib. 1. cap. 7. nec ipſe Epiphanius in Panario Hær. 31. ſed inquit Pearſonius in Fragmento quod extat apud Epiphanium aliter ſe res habet ; Logus ſiquidem aut ex Nu & Alethia emittitur, mediantibus Anthropo & Eccleſiâ, aut ex Anthropo & Eccleſiâ ; largiamur Viro docto quod petit, ne hilum quidem proficiet ; Nam etiamſi eum quem vult ſequamur ordinem in fictitijs Valentinianorum Æonibus numerandis ; Tamen nihilominus Logus ex Sige emittetur, ſi non ut ab aviâ nepos, ſaltem ut ab abaviâ abnepos, & in hoc ſolùm peccaverit Dallæus, quòd Logum Siges nepotem fecerit, non autem in eo quod illum ex Sige rectâ lineâ eductum affirmârit; ſtemma ſemper idem, gradus modò anticipatus, veluti Logus Sigen proximiore gradu contingeret. Prætereà contra Clariſſimum Blondellum contendit Vindiciarum Auctor, Fragmentum quod apud Epiphanium extat, non ex ipſius Valentini libro decerptum eſſe, ſed ex quodam Valentinianorum ſcripto ; non ignorat autem eruditus Pearſonius Valentini diſcipulos varias conſtituiſſe ſectas, & unamquámque ſectam Hæreticum magiſtri dogma ita interpolaſſe, ut ſibi aliquid peculiare

tribueret, quo ab aliis diſtingueretur; prudentiores verò ex Valentini diſcipulis, ut ſcribit Irenæus lib. 1. cap. 6. aſſerebant Logum non ex Nu & Alethia emiſſum eſſe immediatè, ſed mediantibus Anthropo & Eccleſiâ ſeu potiùs ex Anthropo & Eccleſiâ procreatum, ecce Irenæi verba. *qui prudentiores putantur illorum eſſe, non ex Logo & Zoe Anthropon & Eccleſiam, ſed ex Anthropo & Eccleſiâ Logon & Zoen dicunt generatos*; Ad hos igitur aut eorum ſimiles reſpexiſſe Epiphanij Fragmentum non dubito; At Fragmentum quod apud Irenæum extat, proprium ipſius Valentini figmentum deſcribit cap. 5. in ila autem deſcriptione Logus ex Sige emiſſus dicitur, non ut filius à matre, ſed ut ab aviâ nepos, quod Dallæo ſufficit; *Valentinus*, inquit Irenæus, *ſic definivit, Dualitatem quandam innominabilem, cuius quidem aliquid vocari inenarrabile, aliud autem Sigen. Poſt deinde ex hac dualitate, ſecundam dualitatem emiſſam, cuius aliud quidem Patrem vocat, aliud autem Aletheiam. Ex hac autem quaternatione fructificari Logon & Zoen, Anthropon & Eccleſiam.* Ergo juxta fabuloſa Valentini placita, Logus ex Sige dicitur emiſſus, mediantibus Nu & Alethia, eodem planè modo hanc Logi prolationem referunt

Digitized by Google

Philaſtrius, Epiphanius, Auguſtinus, Theodoretus. Nec eſt quod Vir doctus Dallæi diſtinctionem de emiſſione mediatâ vel immediatâ ſugillet pag. 49. quaſi verò nepotes ab avis non deſcendant, eorúmque non nominentur filij, & avi nepotum patres, ut Nabucadnetſar Belcatſaris pater, & Belcatſar Nabucadnetſaris filius cap. 5. Dan. Quemadmodum ergò nepotes ab avis & avijs deſcendere non abſurdè dici poteſt, ſic Valentini Logon ex Sige ut ab aviâ nepotem emitti pari ratione affirmare licet. *Hæc*, ait Vir doctus p. 49. *diſtinguendi ſubtilitas & Valentini & Patrum ævo longè inferior eſſe cognoſcitur, nec ibi adhiberi debuit ubi de nudâ eorum ſententiâ quæritur.* Quid audio, nonne diſtinctione uti ſolemus, dum ſeſe offert diſtinguendi occaſio? Dallæo oblata fuit ab Ignatianorum patronis, quidni igitur eam adhibuiſſet? ut res alioquin involutas & veri ſpecie à doctiſſimis Viris coloratas explicaret, verúmque à falſo ſecerneret; *Nemo eorum* (inquit iterum de Patribus agens) *vel mediatè vel immediatè Logon vel ex Sige vel ex alio Æone eductum fuiſſe dixit.* Fateor Patres verbis *mediatè* vel *immediatè* non eſſe abuſos, quia ad ea uſurpanda non eos cogebat iniqua adverſariorum importunitas,

rem per ſe claram ac perſpicuam negantium: Sed hinc non ſequitur quin Logon ex aliquo Æone eductum aſſeruerint; *Nus emittit ex ſemetipſo Sermonem* ſeu Logon, inquit Tertullianus contra Valentinum cap. 7. en immediatam Logi ex Nu emiſſionem, imò primam Æonum Tetradem, ut cæterorum principium ac cauſam ibidem repræſentat; *Bythos & Sige, Nus & Veritas, prima quadriga defenditur Valentinianæ factionis, matrix & origo cunctorum.* Ergo ex Sige educitur Logus, cùm ex primâ emittatur Tetrade, Irenæus pariter, mox enim dicebat, Valentinum definiviſſe ex prima dualitate Bythi & Siges, ſecundam emiſſam eſſe Nu videlicet & Aletheias; Ex hac autem quaternatione, *fructificari Logon & Zoen Anthropon & Eccleſiam*; ſi igitur ex primâ illâ quaternatione fructificatur Logus, ut loquitur vetus Irenæi interpres, id eſt ſi illo quaternario editus eſt, negari non poteſt quin ex Sige educatur, quando Sige ad primam illius tetradis conjugationem pertinet.

IX. Quod obſervat Vindiciarum Auctor pag. 44. 45. Nun Monogenen ſive unigenitum dictum eſſe, quòd ille ſolus ex Bytho & Sige natus eſt, cujuſcúnque reſpectu id dicat Tertullianus, Dallæo non

nocet; nam immediata Nu ex Sige emiſſio, mediatam Logi ex eadem Sige prolationem non impedit: Dallæus verò Logi ex Sige eductionem mediatam vel immediatam tuetur, alterutram, non utrámque; quamvis utráque aliquatenus defendi poſſit, mediata, ſi duas primas Æonum combinationes ſejungis, immediata; ſi eas in primam conflas tetradem, ex qua totâ emitti Logum aſſerere non veretur Valentinus apud Irenæum lib. 1. cap. 5. Ergo ex Sige quæ primam illius quaternarij cum Bytho conjugationem efficit; nec obſtat quod dicit Pearſonius, Bythum videlicet ſoli Monogeni ſeu No, quod ab ipſo natus eſſet, notum fuiſſe; non enim agitur de quorundam Æonum ſupra cæteros privilegijs, ſed de eorum generatione ac procreatione, notus ſit Bythus quantum Vir doctus voluerit ſoli Monogeni, hoc eſt No; Hinc minimè conſequitur Logon ex Sige non emiſſum fuiſſe; familiarum primogeniti privilegijs quibuſdam vulgò fruuntur præ minoribus natu; ſed hæ prærogativæ non impediunt quominus natu minores ad eandem pertineant familiam, iiſdémque ſint fati parentibus: At inquit Vindiciarum Auctor quod Bythus ſoli No notus fuit, non aliunde venit, quam ex eo quod ex ipſo

natus eſt; ſi valeret hæc Viri docti ratiocinatio, idem concludi poſſet de Aletheia quæ ex Bytho & Sige perinde ac Nus educta fuit; & tamen non notus ei fuit Bythus, quærenda ergo alibi quàm in Monogenis nativitate iſtius quo gaudet privilegii ratio. Non diffitetur Pearſonius Aletheiam ex Bytho & Sige proceſſiſſe, hoc ſolum dicit pag. 45. Aletheiam ex iiſdem quidem proceſſiſſe Æonibus, ſed poſt Monogenen ſeu Nun; Eſto, hoc ſibi peculiare habeat Nus, ex jure ut ita dicam primogenituræ ſuæ, ut ſolus Bythum noverit, illud non ægrè feret Alethia, dummodò ſibi viciſſim non invideatur ex ijſdem parentibus ortus ac nativitas; non igitur ſimplici ex Bytho & Sige procreatione hanc prærogativam conſecutus fuerit Monogenes, ſed potiùs procreationis ſeu nativitatis prioritate ſi ſic loqui fas eſt. Prætereà errat Vir doctus dum Alethiam ex Bytho & Sige poſt Nun proceſſiſſe ſcribit; cùm contrarium pateat ex Tertulliano & Irenæo, qui docent Alethiam unà cum Monogene ex Bytho & Sige emiſſam eſſe; Irenæus ſiquidem obſervat lib. 1. cap. 1. Valentinum definiviſſe, *unà cum Nu emiſſam Veritatem*; Tertullianus de eodem loquens hæc habet lib. contra Valent. cap. 7. *Ita & ipſe Pa-*

dicam in gratiam Blondelli quædam eſſe in illo Fragmento, quæ illius cauſam optimè juvare videntur, quare Pearſonius verba illa quibus ſe tuetur Blondellus corrupta exiſtimat, ut multa alia in eodem Fragmento, idem dicit de quibuſdam Cyrilli Hieroſolymitani verbis ab eodem Blondello allatis ex Catecheſi 6. Non omni igitur veriſimilitudine caret Blondelli ſententia, cùm rectè refelli nequeat, niſi loca unde deprompta eſt ſollicitando, eáque mendoſa atque corrupta dicendo. Cætera quæ cap. 5. comprehenduntur jam expendimus, dum ad Ebionæos haudquaquam reſpexiſſe Autorem Epiſtolæ ad Magneſios probavimus; quicunque enim fuerit Scriptoris illius ſcopus ac finis, ſive ad unitatem Eccleſiaſticam hortandi, ſive ab hæreſi Magneſios dehortandi, rem ita exſequitur, ut ad Valentinum feriendum eum rectè collineaſſe facilè dixeris, ſi utrámque pericopen à Dallæo laudatã attento intuearis animo, præjudiciiſque libero: Nam etſi fortè omniaunum Valentinum ſingillatim non petant, cuncta tamen confertim & cõglobatim Hæreticum illum jugulant: Imprimis quæ dicit de Ieſu Chriſto, Dei filio, Verbo æterno, & non à Sige progrediente. Si de nudis ageretur nominibus, aliquem for-

ſan colorem haberet Viri docti obſervatio pag. 51. ſcribentis Valentinianos *eundem & Ieſum, & Chriſtum, & Logon nominare*; quod probat Theodoreti auctoritate, *Ieſum* (inquit lib. 1. c. 7.) *inde produxerunt, quem & Servatorem appellant, & Chriſtum Verbum*, & Irenæi qui tradit nobis perfectum fructum, *Ieſum, quem & Salvatorem vocari, & Chriſtum, & Logon, patronymicè, ac omnia*, lib. 1. cap. 1. At Vindiciarum Auctorem non latet, Ieſum Valentinianorum alium eſſe à Chriſto, alium à filio, alium à Verbo, alium denique ab omnibus; etiamſi eorum nuncupetur nominibus: Nam *Chriſtus patronymicè vocatur* (inquit Epiphanius hær. 31.) *propter ſupernum Chriſtum, & Verbum propter ſupernum Verbum*; immò *omnia*, ut ait Irenæus, *quoniam ab omnibus eſſet*: Ideóque ab omnibus diviſus ut effectus à causâ. Ieſus verò Chriſtianorum idem eſt cum Chriſto, cum Filio, cum Verbo æterno ab uno vero Deo Patre exiens; Iam autem Dallæus Scriptoris Epiſtolæ ad Magneſios veſtigia premens, non argumentatur ex nudis Ieſu noſtri nominibus ſeu attributis, ſed ex eo quod eſt re vera, nempe Ieſus Chriſtus, filius Dei, Verbumque ejus æternum ab eo exiens, una eadémque divina perſona; opposi-

tione factâ ad Ieſum Valentinianorum qui diviſus eſt à Chriſto, à Filio, & à Verbo, quod non ab uno Deo Patre emanat, ut noſtrum, ſed à Sige progreditur.

Fruſtrà igitur & immeritò gloriatur Vindiciarum Autor, velut Dallæi argumento ſatisfeciſſet, explicatâ & comprobatâ utrâque Aſſertione, primâ videlicet & ſecundâ; argumentum ſiquidem Dallæi à Viri docti exceptionibus ſic Vindicavimus, omnibúſque illius occurrimus objectionibus, ut deinceps ambigi nequeat, quin ad Valentinum illiúſque hæreſin diſertè reſpexerit Epiſtolarum Autor: contrarium ſibi perſuaſum eſſe teſtatur Vir doctus; tamen nè quis in animis eorum, qui Salmaſij, Blondelli & Dallæi rationibus hactenus aſſueti ſunt, ſcrupulus hæreat, & ne ſuos etiam Vſſerium, Voſſium & Hammondum deſerere videatur, eorum reſponſiones quas firmiſſimas eſſe credit, reſumere ac confirmare ſtatuit; adeò ut, ſi quis adhuc ſit qui exiſtimat Autorem ad hæreſin quàm amplexus eſt Valentinus collineaſſe, nè hoc quidem quicquam valeat ad violationem temporum oſtendendam, vel autoritatem Epiſtolarum ullo modo elevandam. Aſſerit enim tertiò, *Hanc ipſam hæreſin Valentino fuiſſe antiquiorem, & à vetuſtioribus* X.

Gnoſticis derivatam, eámque præ ætate reſpicere potuiſſe S. Ignatium Martyrem, quatenus fuit ab antiquioribus Gnoſticis prolata, & antequam in Valentini characterem fuit transformata: ut neceſſe non ſit ad Valentinum hîc recurrere. Ita eruditus Pearſonius cap. 6. pag. 59. hanc autem ſuam Aſſertionem per totum caput ſtabilire laborat, an fauſtis vel infauſtis avibus videbimus, primò varia adfert in hanc rem Veterum teſtimonia, ſcribítque p. 60. neminē eorum eſſe qui Valentinum veterem opinionem reſſuſcitâſſe nō diſerte tradat. Doleo Virum doctum ſe gratis & inutiliter fatigâſſe in deſcribendis Veterum illorum teſtimonijs, cùm confitentem haberet adverſarium: Dallæus quippe, ut ipſe obſervat pag. 61. ingenuè fatetur cap. 12. pag 303. ipſam rerum ſylvam atque materiam, ex quâ Valentinus ſua compoſuit, jam apud vetuſtiores partim Gnoſticos Hæreticos, partim etiam Poëtas, aut Philoſophos Ethnicos fuiſſe; Veteres autem quorum citantur teſtimonia de materiâ ac ſemine hæreſis Valentini loquuntur, necnon de ejus occaſione; & nos docent hæreſiarcham illum à veteribus Gnoſticis occaſionem ſumpſiſſe ſuum impium dogma conflandi, ab ijſque ſemina & materiam matæolgiæ ſuæ mu-

tuatum eſſe, nec hoc diffitetur præſtantiſſimus Dallæus; De ſolâ formâ lis eſt, negat enim idem Dallæus ubi ſuprà eandem materiæ diſpoſitionem ac compoſitionem, quam præ ſe fert Valentini hæreſis, apud vetuſtiores fuiſſe Gnoſticos; quoniam ſi hæc forma vetuſtiorum jam fuerat, nullus ergo proprius Valentinianæ doctrinæ character fuiſſet, quem fuiſſe Irenæus diſertiſſimè docet. Viro docto igitur incumbit probare eandem fuiſſe vetuſtiorum Gnoſticorum hæreſis formam, eundémque characterem cum eo quem Valentinianæ hæreſis proprium & peculiarem eſſe contendit Dallæus, & niſi hoc fœliciter exſequatur, actum erit de Epiſtolico ſuo Ignatio, cujus fronti ad ſempiternam ignominiam inuſta ac impreſſa manebit tanta ſuppoſitionis nota. Verus ſiquidem Ignatius neque Valentinum ſe poſteriorem ferire, neque ejus hæreſim pluribus poſt ſuum martyrium annis natam pulſare potuit; tamen ſi Logi ex Sige emiſſio, proprius fuit Valentinianæ hæreſis character, negari non poteſt quin ad eam reſpexerit Autor Epiſtolæ ad Magneſios: Oſtendat ergo neceſſe eſt doctiſſimus Vindiciarum Auctor, Valentinianæ doctrinæ proprium characterem, non talem eſſe qualem vult Dal-

Digitized by Google

læus, Logíque ex Sige generationem inter ſua figmenta admiſiſſe Gnoſticos Valentino antiquiores alioqui non ſtabit tertia Viri docti Aſſertio, quâ Hæreſin hanc Valentino antiquiorem, & à veteribus Gnoſticis acceptam, demonſtrare in ſe recepit.

XI. Vt hoc perfungatur labore, ſententiam ſuam confirmare nititur, Blondello nimirum, & Dallæo occurrendo, deinde Dallæi argumenta refellere aggreditur; verba quæ Blondello adſcribit Vir doctus pag. 61. reperire non potui, locum enim ex quo deſcripta ſunt non indicat; quæ de Epiſtolis Ignatianis ſcripſit Præfat. in Apolog. Hieronymi, & in notis ad Epiſtolas clariſſimi Viri Iſaac Voſſii de eodem argumento, legi & relegi, & tamen verba quibus de agitur non inveni; Verùm quia Blondellum in animo minimè habui, dum has obſervationes ſcribere decrevi, non eſt quod de eo anxiè ſolliciti ſimus: Aliquid nihilominus de eo dicam, ne videlicet de tanto Viro triumphaſſe putet Vindiciarum Autor. Obſervat ſiquidem Pearſonius Blondellum ex Irenæo, ſeu potius Irenæum ex Blondelli mente affirmare, *proprium Valentini characterem combinationem Profundi & ſilentij protuliſſe.* Contrarium verò exiſtimat Vir doctus,

Digitized by Google

hancque Bythi & Siges Syzygiam cœteris Gnoſticis Valētino vetuſtioribus communem aſſerere non veretur, varijs Irenæi teſtimoniis in hancrem adductis pag. *62. 63.* Loca ex quibus deprompta ſunt conſului, teſtimonia ipſa expendi, nec quicquam omnino in iis animadverti, quod Blondello noceat, vel faveat Vindiciarum Autori, ex illis quidem diſcimus Gnoſticos Valentino antiquiores de Bytho philoſophatos eſſe, eúmque ut Deum agnoviſſe, at de Bythi & Siges conjugatione, altum apud Irenæum ſilentium, hanc autem combinationem, ſi Virum doctum audimus, urget Blondellus, de Bytho à Sige ſeparato, nullámque cum eâ Syzygiam faciente non loquitur, *fuit*, inquit, *Sige aut Bytho coæva, aut fortaſſe nomen ejus illo Bythi antiquius*; non hoc quæritur, ſed utrùm Irenæus ſcripſerit Gnoſticos qui Valentinum præceſſerunt, *Bythi* & *Siges* combinationem admiſiſſe, non id ſcripſit in locis à Viro docto allatis, manet igitur firmiſſima Blondelli noſtri argumentatio, eamque ſollicitare incaſſùm laboravit Pearſonius; inſtat iterùm, & Ennoean Simoni adfuiſſe obſervat. Ennoean verò illam ab initio Sigen appellatam oſtendit ex quibuſdam Euſebij verbis de Eccleſ. Theologiâ lib.2. cap.

9. quæ ſic ſe habent ; *Hæc ſupponere auſus eſt Marcellus ; quippe qui olim ait Deum extitiſſe, & quietem quamdam apud Deum imaginatur, ſecundùm illum impiorum hæreticorum Principem, qui impia dogmatizans, pronunciavit dicens, ERAT DEVS & SIGE.* Verùm hæc tanti non ſunt ut putat Pearſonius ; Nam de *Deo* loquitur Euſebius, non de *Bytho* ut Blondellus, non me latet Valentinianos & fortè alios quoſdam Hæreticos, fabuloſum ſuum Bythum pro Deo habuiſſe, id eſt pro perſona divinâ, & nobilioris ſexus, ſed *Dei* nomine inſignitum eum non video ; præterea ponamus *Deum* apud Euſebium eundem eſſe cum *Bytho* Irenæi & aliorum qui de Gnoſticis ſcripſerunt, non inde ſequetur conjugationem *Bythi* & *Siges* à Gnoſticis Valentino antiquioribus inter ſua figmenta numeratam eſſe ; ille ſiquidem impiorum Hæreticorum Princeps, ipſe *Valentinus* erit, qui primus juxta Blondellum hanc Bythi & Siges Syzygiam ſomniavit ; pertendit tamen eruditus Pearſonius, de primâ Syzygiâ *Bythi & Siges*, tanquam ab omnibus Veteribus Gnoſticis, non Valentinianis tantùm, agnitâ loqui Irenæum lib. 1. c. 5. Nam cùm novam quandam Archegonon octonationem ab aliquibus Valentini diſcipulis excogitatam notaſſet,

notaſſet, *has volunt*, inquit, *virtutes fuiſſe ante Bython & Sigen, ut perfectorum perfectiores appareant, & Gnoſticorum magis Gnoſtici Viri*. Et ſtatim exclamat, *O pepones, Sophiſtæ vituperabiles, & non Viri*. Profectò miror Virum doctum ad hæc Irenæi verba, velut ad ſacram Anchoram confugere, cùm in toto hoc capite de Valentino agat & ea in quibus ab illo differunt Diſcipuli tangat, ut fert titulus, *quæ ſit Valentini ſententia, in quibus diſcrepant adverſus eum Diſcipuli ejus*. A Gnoſticis autem Valentinianis ad alios Gnoſticos Valentino vetuſtiores non valet argumentatio; non ignorat Pearſonius Valentinianos Gnoſticorum nomen ſibi impoſuiſſe ut ſcribit Epiphanius hær.31. Et in plures ſectas à ſe invicem diſcrepantes diviſos eſſe, ex eorum numero erant qui ab Irenæo deſignantur, nec ad alias ſectas Valentini hæreſi antiquiores pertinebant, ne illi quidem *perfecti & Gnoſtici*, quibus ipſi hoc ſuo invento perfectiores & magis Gnoſtici videri volebant, Valentino vetuſtiores dicendi ſunt, nempe *perfecti* illi & *Gnoſtici*, quorum reſpectu iſti de quibus loquitur Irenæus *perfectiores* eſſe gloriabantur, non alii erant quàm Valentinus ipſe, & primi ejus Diſcipuli, quibus novi iſti ex eadem proſapiâ Magiſtri,

Digitized by Google

Gnoſticæ Sapientiæ palmam præripere, hoc eorum Theogoniæ addito figmento contendebant. Diſcipuli ſiquidem ſupra Magiſtrum ſapere nitebantur, quod & in aliorum Magiſtrorum ſcholis plærúmque contingit, & in hujus præſertim Valentini impiiſſimâ ſectâ accidiſſe, tum ex Irenæo, tum ex Tertulliano diſcimus, qui Valentini dogma primò ſimplicius, variè poſtmodum à Sectatoribus, ut fieri ſolet, auctum & interpolatum fuiſſe teſtatur: *ita*, inquit, *nuſquam jam Valentinus: & tamen Valentiniani, qui per Valentinum. Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam Valentini integrâ cuſtodiâ regularum ejus conſolatur.*

Tertull. adverſ. Valent. cap. 4.

Pearſonius tamen ſe tuetur quibuſdam Gregorij Nazianzeni verbis ex illius Orat. 23. deſcriptis, *cum Simones*, inquit, *& Marciones, & Valentini quidam, & Baſilidæ, & Cerdones, Cerinthi, etiam & Carpocrates, & omnes eorum nugæ & præſtigiæ, poſteaquam rerum omnium Deum perdiuturno tempore ſecuiſſent, bellúmque pro Bono adverſus Creatorem geſsiſſent, ſuomet deinde, ut æquum erat, Profundo abſorptæ ac Silentio traditæ fuerunt.* Sed nemo non videt Gregorium hoc ſolùm velle, hæreſes à ſe memoratas evanuiſſe tandem, nullámque prorſùs Eccleſiæ mo-

leſtiam creare, ideóque ſcribit *profundo abſorptas ac ſilentio traditas fuiſſe*, alluſione videlicet factâ ad *Profundum & Silentium* Valentini, cui illiúſque Sectatoribus competunt hæc ultima Nazianzeni verba, non autem cæteris quos nominat Hæreticis: At inquit Vindiciarum Auctor Elias Cretenſis in orationem 23. Gregorij Nazianzeni, & Nicetas in Orat. XLIIII. Theologi verba de Simonianis explicant; Ex Elia quippe hæc deſcribit; *Ac Simoniani quidem octonarium numerum ob Æones eos quos colebãt honore proſequebantur. Nugabantur enim Bythum cum ſuâ Sige congreſſum Mentem & Veritatem genuiſſe &c.* Iſta verò ex Niceta: *Simoniani quidem octonarium propter octo illos Magiſtri ſui Æones honori habebant. Etenim ex Bythi cum Sige congreſſu Mentem ac Veritatem procreatas eſſe fabulatus eſt, atque ita primos parentes, ut jam dictum eſt. Bythum & Sigen confixit.* Ex duobus hiſce teſtimoniis, hanc adverſus Blondellum concluſionem elicit Vir doctus; *Bythum igitur & Sigen inter Æones ſuos habuiſſe veteres illos ante Valentinum Gnoſticos dixere quamplurimi, non habuiſſe ante Blondellum, opinor, nemo dixit.* Quis non miretur Vindiciarum auctorem de quamplurimis teſtibus glориantem; quamvis duos tantum laudet, eóſque recentiores, ac ea propter minimè audiendos, niſi ſcripto-

rum ſe vetuſtiorum autoritate freti loquantur de rebus adeò vetuſtis, ab eorúmque ætate longè remotis, Nam ut eſt à Baronio rectè obſervatum Annal. Ecclеſ. num. 12. *Quod à recentiore Auctore de rebus adeò antiquis, ſine alicujus vetuſtioris autoritate profertur, contemnitur.* Cùm igitur teſtes à Vindiciarum Auctore citati recentiores ſint, & de rebus adeò antiquis ſine alicujus vetuſtioris autoritate loquantur, juxta celeberrimi Annaliſtæ regulam contemnendi ſunt; præſertim cùm ea narrent de Simonianis incognita planè veteribus qui varios Hæreticorum texuêre catalogos, Irenæo, inquam, Tertulliano, Philaſtrio, Epiphanio, Auguſtino, Theodoreto, qui ſæculo quinto inclinato vivendi finem fecit, & tamen pluribus poſt Theodoretum ſæculis floruerunt quos jam verſamus Scriptores: Prætereà ſi integras utriúſque Scriptoris pericopes adduxiſſet Vir doctus, eorum inſcitiam ac ſupinitatem hac in re prodidiſſet, & ijs quæ de Simonianis ſcribunt fidem penitùs detraxiſſet; Age ergo Eliæ Cretenſis verba deſcribamus; *Simon*, inquit, *& Marcion Hæreſiarchæ erant. Ac Simoniani quidem octonarium numerum ob Æones eos, quos colebant, honore proſequebantur. Nugabantur enim Bythum cum ſuâ Sige congreſ-*

ſum , Mentem & Veritatem genuiſſe. Ac generis principes Æones , ut diximus Bythum & Sigen fingebant : ab his autem ſecundos Mentem & Veritatem : ab his tertios Sermonem & Vitam , ab his deníque quartos Hominem & Eccleſiam. Marcioniſtæ verò adaucto morbo tricenarium numerum venerabantur ob triginta Æones , quos ipſi colebant. Hoc enim deliri homines aiebant , quòd ex iiſ Æonibus qui apud Simonianos eſſent, Sermo quidem & Vita Æones decem rurſum produxiſſent : Homo autem & Eccleſia duodecim alios Æones : qui quidem ad octo eos, quos modò recenſuimus , adjuncti , tricenarium numerum efficiunt. Supervacaneum autem fuerit eorum quoque nomina ſcribere, ita anilia ſunt & aſpernanda. Eadem prorsùs totidémque ferè verbis narrat Nicetas, adeò ut alterum ab altero mutuatum eſſe opporteat. Quicquid ſit liquidò conſtat utrúmque, Eliam videlicet & Nicetam , graviter hallucinatos eſſe , & plura in tantulo ſpatio peccaſse peccata. Nam qui in Antiquitatis monumentis tantiſper ſunt verſati facilè animadvertent, primò, quatuor Æonũ conjugationes quas Simonianis affingunt , ipſiſſimas eſſe. Valentini Syzygias , quæ primam Æonum Valentinianorum octonationem efficiunt, ut nos docent veteres qui de hære-

ſibus ex profeſſo tractarunt, cùm nihil tale de Simonianis ſcripſerint. Secundò, ea quę de Marcioniſtis narrant mera eſſe vigilantium ſomnia, & à veritate alieniſſima; quis unquam vel fando audivit Marcionem ejúſque conſectaneos triginta Æones coluiſſe ac veneratos eſſe? De Marcioniſtis ſcripſerunt quamplurimi è vetuſtiſſimis Eccleſiæ ſcriptoribus, de eorum hæreſi plura nobis tradiderunt; At de triginta Æonibus ab illis cultis ne minimum quidem in Antiquorum Patrum ſcriptis extat veſtigium: Quare non poſſum non mirari Vindiciarum Auctorem, ad iſtas aniles fabulas confugientem, & in ijs cauſæ ſuæ præſidium quærentem; inanes voco fabulas quæ nullo antiquiſſimorum Scriptorũ nituntur teſtimonio, imò potiùs adverſâ fronte pugnant cum ijs quæ de Simonianis & Marcioniſtis obſervarunt veteres Eccleſiæ Doctores, qui antiquas recenſuerunt hæreſes, eáſque de induſtriâ oppugnare ac confutare aggreſſi ſunt: Nihil ergo boni augurari licet de causâ Viri docti, ad quam tuendam adhibentur non firmiſſima argumenta, neque validiſſima rationum momenta, ſed frigidiſſima juniorum Scriptorum commenta, quibus craſſiſſimam ſuam antiquarum hæreſecon reſpectu produnt ignorantiam. Dicet for-

ſan Clariſſimus Pearſonius ſua à Gregorio Nazianzeno hauſiſſe Eliam & Nicetam: Equidem fateor quædam dicere Nazianzenum orat. XLIIII. pag. 706. quæ Scholiaſtarum ſuorum opinioni viam ſternere potuerunt; Nam de numeris agens, ſeptenario videlicet Hebræis ſacro, & quaternario, qui Pythagoreis in honore erat, Simonianis & Marcioniſtis octonarium & Tricenarium aſſignat *quoniam parem quorundam Æonum numerum concelebrant ac venerantur*. Verùm ex iſtis Theologi verbis nihil planè in gratiam ſuæ hypotheſis exſculpere poteſt Vindiciarum Auctor; Æones enim nō nominat Gregorius, neque eorum recenſet combinationes, ideóque nequaquã ſciri poteſt utrum *Bythi* & *Siges* Syzigiam Simonianis adſcribat; Deinde vereor ne aliquid humani paſſus ſit tantus Eccleſiæ doctor dùm Marcioniſtis Æones tribuit, præter vulgarem de illis hæreticis veterum Scriptorum ſententiam; prætereà Nazianzeni verba obſcura ſunt nec intellectu facilia, & niſi commodam adhibeas interpretationem, vix excuſari poteſt, benignior autem meo quidem judicio adhiberi nequit, quam iſta, octonarium videlicet numerum, tribuendo Simonianis ob tres conjugationes quas excogitavit Simon

Magus, radicéſque nominavit, quæ quidem conjugationes cum Simone ipſo & ſuâ impuriſſimâ Helena, octonarium efficiunt numerum; Triginta verò Æones Valentinianis (totidem quippe excogitabant) non autem Marcioniſtis quibus id imprudenter affinxit Nazianzenus.

XIII. Vindicatâ celeberrimi Blondelli opinione, videamus quid adverſus Dallæi ſententiam objiciat doctiſſimus Vindiciarum Auctor; Dallæus ſiquidem aſſerebat *Logon* ex *Sige*, tanquam à matre filium, vel tanquam ab aviâ nepotem, procreatum eſſe, neminem ante Valentinum docuiſſe, hancque *Logi* ex *Sige* emanationem proprium eſſe ac peculiarem hæreſis Valentini characterem: Pearſonius verò contra affirmat Baſilidem inter Gnoſticos Valentino vetuſtiores fuiſſe, & de Logo pariter ac Valentinum ſenſiſſe, quod probat pag. 65. quibuſdam Theodoreti verbis Fab. Hæret. lib. 5. cap. XI, cum inquit, Valentini de Verbo ſententiam recitaſſet, hæc addit, *Baſilides quoque ſimiliter alium Vnigenitum, aliud Verbum, & aliam dixit eſſe Sapientiam*; hinc colligit Baſilidem Monogenem & Verbum ſimiliter diſtinxiſſe, quia Verbum ex Monogene ſimiliter eduxit; hæc conſequentia eſt Viri docti, non autem Theodoreti; Theodoretus

tus ſiquidem hoc tantum obſervat Valentinum Vnigenitum diſtinxiſſe à Verbo, Verbum à Chriſto, Chriſtum à Ieſu, idémque fecisſe Baſilidem, ſed de Verbi à Monogene eductione penitus tacet. At Irenæus, inquit, de Baſilide ita loquitur lib. 1 cap. 23. *oſtendit Nun primò ab Innato natum Patre, ab hoc autem natum Logon*; fateor hæc de Baſilide ſcripſiſse Irenæum, hiſque ſimilia de eodem tradere Epiphanium & Theodoretum, ſed iſta Viri docti cauſam minimè iuvant, nulla ſiquidem *Siges* fit mentio inter Baſilidis figmenta, docebat quidem Baſilides *à Nu natum Logon*, ſed à *Nu* & *Sige* emiſſum eſſe nuſquam docuit; primus ex Gnoſticis hoc aſſeruit Valentinus, nulluſque ante eum *Logi* ex *Sige* emanationem commentus eſt; *Baſilides*, ait Pearſonius p. 65. *& illi Gnoſtici inter quos ipſe fuit, neque Bython neque* Nun *ſine* συζύγοις *ſuis Æonem ullum procreâſſe docuerunt*. Cùm hæc lego, vix oculis meis credo, contraria prorſus à vetuſtioribus Eccleſiæ Scriptoribus edoctus; Nam Irenæus, Tertullianus, Philaſtrius, Epiphanius, Theodoretus, fabuloſam Baſilidis Theogoniam ſic repræſentant; *Nus ab Innato natus Patre, à Nu Logos, à Logo Phroneſis, à Phroneſi autem Sophia & Dynamis, à Dynami & Sophiâ, virtutes, &*

principes & Angeli &c. Vbinam ſunt quæſo fictitia illa numina deterioris ſexus, id eſt fœminæ ſine quibus Æones ullos in Baſilidis ſcholâ procreari audacter negat Pearſonius? quorſum antiqui illi Doctores aliter ſe gerunt, dum Valentini matæologiam commemorant, Bython videlicet cum Sige conjungentes, Nun cum Veritate, Logon cum Vitâ &c. Niſi quia juxta Valentini figmenta, ex primâ Syzigiâ, educitur ſecunda, ex ſecundâ tertia, & ita de cæteris; quod de Baſilidis Æonibus dici nequit, ſi fortè Æonum voce uſus eſt; à ſolo quippe Innato Patre emiſſum eſſe Nun, & à ſolo Nu eductum Logon fabulabatur; de Baſilidianis συζύγοις apud veteres altiſſimum ſilentium. Inſtat Vir doctus & Syzigias quaſdam fuiſſe apud Baſilidianos contendit, quoniam Baſilides Menandri diſcipulus fuit, *qui Syzygiam*, inquit, *Patris Incogniti & Ennoeæ tradidit ejuſque Sententiam Baſilides non concidit, ſed in immenſum extendit.* De Menandri Virtute incognitâ ſeu Patre & de Ennoea loquuti ſũt Eccleſiaſtici Scriptores, ſed an Patris Incogniti & Ennoeæ Syzygiam tradiderit, non diſertè dicunt, ſed in gratiam Viri docti Syzygiam illam Menandro largiamur, quid inde conſequetur, Baſilidem, inquiet, Menandri diſci-

pulum eandem admiſiſſe Syzygiam, eſto eam admiſerit Baſilides, nihil propterea efficies adverſus Dallæum, donec probaveris illam Menandri Syzygiam, eandem planè eſſe cū Valentinianâ Bythi & Siges conjugatione, & hoc opus, hic labor eſt: Verùm ne aliquis adhuc ſuperſit tergiverſandi locus, nego Baſilidem Menandri Syzygiam admiſiſſe, & inter figmenta ſua numeraſſe, & mecum negabit Theodoretus Hæret. Faſ. lib. 1. cap. 2. nam de Menandro loquens, *Hunc*, inquit, *habuere magiſtrum Saturnilus & Baſilides, quorum ille Antiochiam ad Oorntem fluvium ſitā Patriam ſibi eſſe prædicabat, Baſilides verò Alexandriam, qui & magiſtro & ſibi invicem contrarias fabulas confixere.* Eat nunc Vir doctus, & Baſilidi quantum volet affingat quam Menandri dicit eſſe Syzygiam; ego Theodoretum ſequar, & Baſilidem Menandro cōtraria excogitaſſe firmiſſimè credam. *Baſilides*, pergit eruditus Pearſonius, *Menandri ſententiam non concidit*, non concidit ſanè, neque id concedere moleſtum erit; *ſed*, inquit, *in immenſum extendit*, pace tuâ Vir doctiſſime in immenſum non extendit, neque de Menandri doctrinâ id dicit Irenæus, à quo hæc verba accepit Pearſonius, ſed de ipſiſſimo Baſilidis impio dogmate, ecce Irenæi verba lib.

1. cap. 23. initio; *Baſilides ut altius aliquid & veriſimilius adinveniſſe videatur, in immenſum extendit ſententiam doctrinæ ſuæ.* De doctrinâ ſuâ agitur, non de Menandri ſententiâ, cui contrarium erat Baſilidis figmentum, ut nos docuit Theodoretus, & diverſum præthereâ à Saturnili condiſcipuli hæreſi, ut teſtatur cum Theodoreto Irenæus lib. 1. cap. 22. In immenſum autem doctrinam ſuam extendiſſe dicitur Baſilides, quoniam plura confixit quàm Menander & Saturnilus, quorum ille amborum fuit magiſter, Saturnili videlicet & Baſilidis, iſte verò, Saturnilus nempe, ejuſdem magiſtri unà cum Baſilide diſcipulus; qui quidem Baſilides dogma ſuum in immenſum præ illis extendiſſe ob multa cenſendus eſt, imprimis propter cœlos CCCLXV. quos ab Angelis fabricatos delirabat.

XIV. Verùm aliud habet Vindiciarum Auctor quo probet Baſilidem idem cum Valentino de *Logo* ſenſiſſe; obſervat ſiquidem Irenæum lib. 2. cap. 16. diſputare aggreſſum eſſe adverſus Valentinianorum *primum ordinem emiſsionis, quo emiſſum aiunt de Bytho & hujus Ennoea Nun & Alethian.* Et cap. 18. diſputationem ita concludere. *Hæc autem quæ dicta ſunt de Senſus* (id eſt Nus) *emiſsione, ſimiliter*

& adverſus eos qui à Baſilide ſunt, aptata ſunt, & adverſus reliquos Gnoſticos, à quibus & himitia emiſsionum accipientes, convicti ſunt in primo libro. Poſtquam hæc Irenæi verba adduxit Vir doctus, de ſuo adijcit. *Illa autem initia emiſsionum, quæ à primis Gnoſticis derivarunt Valentiniani quæ fuerint porró quærendum eſt.* Non diu quærendum erit nec longâ opus erit inquiſitione, facili enim negotio deprehendemus unde hæc emiſſionum initia acceperint Valentiniani; Emiſſionum initia dixi cum Irenæo, qui de emiſſionum initijs tantùm loquitur, non autem de integris emiſſionibus, alioqui dixiſset Valentinum à Baſilide & reliquis Gnoſticis, ſuas Æonum emiſſiones partim accepiſſe, vel ſaltem quaſdam emiſſiones ab ijs derivaſſe; cùm autem de ſolis emiſſionum initijs agat, facile reperientur quædam ejuſmodi initia, & in hæreſi Simonis Magi Gnoſticorum omnium parentis, nam in primâ conjugatione Nun reponit, Nus verò eſt Deus maſculus ſecundæ Valentinianorum Syzygias; prætereà Simon ille Magus dicebat ſe eſſe ſuper omnia Patrem, & infinitam quandam potentiam, quam & univerſorum radicem appellavit; quod non malè congruit Valentinianorũ Bytho ſeu Propatori, quem velut perfectum Æonem,

Digitized by Google

inviſibilem, incomprehenſibilem, ingenitum, exhibent, & in inviſibilibus ac inenarrabilibus agentem. Deinde Baſilides ipſe quoque Gnoſticus tria trium primarum Valentini emiſſionum initia ſubminiſtrat, *Ingenitum, Nun, & Logon*, dixit enim ut tradunt antiqui Eccleſiæ Doctores, *Ingenitum primam omnium Mentem genuiſſe* (hoc eſt Nun) *ex Nu proceſſiſſe Logon*; vides igitur Valentinum à Gnoſticis derivaſſe, non Syzygias integras, ſed initia primæ quæ ex *Bitho* ſeu *Ingenito* & *Sige* conſtat, ſecundæ quæ ex *Nu* & *Alethia*, conflata eſt, & tertiæ quam ex *Logo* & vita *fabricarunt*. Sed Vindiciarum Auctor ſcribit pag. 65. 66. Eliam Cretenſem & Nicetam quorum verba mox deſcripſimus, aſſerere primam Valentini octonationem à Gnoſticis deductam eſſe, decada autem & duodecada de ſuo addidiſſe Valentinum, Eliæ Cretenſis & Nicetæ hallicinationes iam ſuprà diſpunximus, ideóque eas iterùm excutere non eſt neceſſe: unum addam Eliam videlicet & Nicetam, nequaquam tradere, ut ſcribit Vir doctus, Valentinum decada & duodecada de ſuo addidiſſe; Hoc enim de Marcioniſtis diſertè profitentur, non autem de Valentinianis: Sed quoniam eruditus Pearſonius optimè novit iſta Valentino,

Digitized by Google

non Marcioni competere, Valentinum pro Marcioniſtis ſubſtituit, & quæ Elias & Nicetas ſcribere debebant expreſſit: Et hoc pacto eorum hallucinationem & inſcitiam tacitè reprehendit, necnon Gregorij Nazianzeni incogitantiam qui commentatoribus ſuis errandi anſam præbuit, cùm Orat. 44. Simonianis & Marcioniſtis tribuit, quæ uni congruunt Valentino. Nihilominus tamen primam Ogdoada à Simonianis accepiſſe Valentinum ex Irenæo confirmare nititur, Irenæus enim cùm emiſſionem *Logi* ordine refutaſſet, & ad emiſſionem Hominis & Eccleſiæ qui primæ Ogdoadis poſtremi Æones fuere, perveniſſet, lib. 2. cap. 18. inquit, notat Valentinianorum Parentes, vetuſtiores Gnoſticos furti malè facti eos accuſâſſe. *De eâ autem quæ eſt ex his ſecundâ emiſſione Hominis & Eccleſiæ, ipſi patres eorum falsò cognominati Gnoſtici impugnant adverſus invicem ſua propria indicantes; & malos fures ſemetipſos convincentes: aptabiles eſſe magis emiſſiones dicentes uti veriſimile ex Homine Verbum, ſed non ex Verbo Hominem emiſſum, & eſſe Hominem Verbo anteriorem, & hunc eſſe qui eſt ſuper omnia Deus.* Ex his Irenæi verbis colligit Vir doctus pag. *66.* Gnoſticos fuiſse Valentinianorum parentes, nec hoc negat Dallæus, imò ul-

Digitized by Google

trò fatetur Valentinum Theogoniæ ſuæ materiam à vetuſtioribus Gnoſticis aliquomodo accepiſse : ab illis, ait Pearſonius tres primas Syzygias apertê ſumpſerunt, ſive furati ſunt Valentiniani: Vnde hæc habet Vindiciarum Auctor ? Quorumnam Veterum teſtimonijs ſua nitatur aſsertio, oſtendat ? Et in quibus Antiquitatis monumentis hæc legerit, indicet? Alioquin eadem facilitate contemnentur ; quâ proferuntur : Irenæus de mutuis Gnoſticorum & Valentinianorum furtis loquitur, ſolámque Hominis ex Verbo emiſſionem in Valentinianis à Gnoſticis argui obſervat, de integrâ Hominis & & Eccleſiæ Syzygiâ nihil aliud dicit, niſi in medium adduci à Gnoſticis, ut notetur præpoſtera Hominis ex Verbo emiſſio, cùm Verbum ab Homine educi potiùs exiſtimarent. Hæc Vindiciarum Auctori reponi poſsent, & niſi me fallit animus illius ex Irenæo argumentationi refellendæ abundè ſufficerent : Verùm ut liberaliùs cum eo agamus, & Irenæi mens omninò percipiatur, ſciendum eſt 1. Valentinianos omnes Gnoſticorum nomen ſibi impoſuiſse : 2. plures fuiſse Valentinianorum ſectas inter ſe diſcrepantes quarum aliæ vetuſtiores erant, aliæ recentiores : 3. in Irenæi verbis à Viro docto al-

latis

latis agi tantùm de varijs Valentini Diſcipulis, quorum alij aliorum Parentes dici poterant, priores videlicet poſteriorum, & juniorum vetuſtiores; Rem autem ita ſe habere liquet primò ex eo quod Gnoſtici Valentino ipſo vetuſtiores, Æonum Valentinianorum emiſſiones nondum natas perſtringere non poterant; nam quæ non ſunt argui nequeunt; ſecundò ex ipſo Irenæo qui de mutuis rixis ac furtis agit; quomodo autem inter ſe rixari poterant, & ſibi invicem furta objicere Gnoſtici Valentino vetuſtiores, & Valentini ipſius Diſcipuli à quibus antiqui Gnoſtici aliquid derivaſſe non eſt veriſimile. Dicet fortè eruditus Pearſonius ſupereſſe adhuc tunc temporis Gnoſticos à quibus ſua figmenta ſumpſerunt Valentiniani, quorum Gnoſtici eapropter Patres dici meruerunt; verùm nihil planè proderit Viro docto hæc exceptio, niſi eam confirmet veterum Scriptorum teſtimonijs, & prætereà oſtendat Gnoſticos illos à Valentinianis accepiſſe, æquè ac Valentinianos à Gnoſticis; nam Irenæus diſertè profitetur utróſque inter ſe contendiſſe, furtáque ſibi mutuò exprobraſſe, vel ut illius verba uſurpem, *adverſus invicem* (id eſt ſibi invicem) *ſua propria indicantes.* His adde à nullo Gnoſticorum Valentino ve-

Digitized by Google

tuſtiore, primam Ogdoada derivare potuiſſe Valentinianos, cùm nullibi compareat, præterquàm in fabuloſis Valentini illiúſque Diſcipulorum Theogonijs; Excutiantur omnia Simonis Magi Gnoſticorum omnium Parentis figmenta, expendantur & exagitentur Menandri, Saturniii, Baſilidis, & aliorum qui Gnoſticorum ante Valentinum fuêre Anteſignani, commentitia Numina, nuſquam inter ea Ogdoada de quâ lis eſt reperies, & quid dico Ogdoada, ne quidem ultimam Ogdoadis Syzygiam, *Hominis* videlicet & *Eccleſiæ*, de quâ præcipuè agit Irenæus. Sed ne diutiùs iſtis immoremur, conſulendus eſt ipſe Irenæus, qui nobis facem præferet, & veram iſtius loci explicationem miniſtrabit, eam ipſam videlicet quam nos tuemur; Libro ſiquidem primo cap. 6. varias Valentinianorum profert opiniones, ideóque hic titulus capiti eſt præfixus; *Quæ ſunt in quibus non conſonant adverſùs invicem hi, qui ſunt à Valentino omnes*; Ex illis autem opinionibus hæc una eſt, quæ ad rem quam tractamus maximè facit; *Qui*, inquit, *prudentiores putantur illorum eſſe, non ex Logo & Zoe, Anthropon & Eccleſiam, ſed ex Anthropo & Eccleſia, Logon & Zoen dicunt generatos.* Quivis videt Gnoſticos quorum fit

mentio in Irenæi teſtimonio à Vindiciarum Auctore adducto, non alios eſſe quàm ipſius Valentini Diſcipulos, qui ſecus ac ille & inverſo ordine, ex *Anthropo* & *Eccleſia, Logon* & *Zoen* emiſſos eſſe contendebant; Et quia in loco à Pearſonio laudato, hæc leguntur, *& eſſe Hominem Verbo anteriorem, & hunc eſſe qui eſt ſuper omnia Deus*: Ne quis putet verba iſta Valentinianorum nugis adverſari, audiendus eſt idem ipſe Irenæus, qui de iiſdem Valentinianis agens, ſic loquitur lib. 1. cap. 7. *Alij ſunt qui ipſum Propatorem omnium & Proarchen, & Proanennoeton, Anthropon dicunt vocari, & hoc eſſe magnum & abſconditum myſterium, quoniam quæ eſt ſuper omnia virtus, & continet omnîa, Anthropos vocatur, & ideò Filium Hominis ſe dicere Salvatorem.* Hinc conſequitur Hariolari Vindiciarum Auctorem, dum ex præconceptâ opinione ad Gnoſticos Valentino vetuſtiores refert, quæ ipſius Valentini Diſcipulos reſpiciunt; negari ſiquidem non poteſt, poſt ea omnia quæ ex Irenæo deſcripſimus, de Valentinianis agi, qui & ipſi Gnoſtici fuère, & alij aliorum Patres, ſed ita tamen ut ſibi invicem furta objicerent, & malos fures ſemetipſos convincerent. Quæ autem ſcribo contra Vindiciarum Auctorem, eadem

Digitized by Google

ſcripta volo adverſus Virum alium eruditum qui nihil planè novi dicit, nec quicquam notatu dignum obſervat; niſi quod ſe commendabilem reddere voluit: Virum doctiſſimum Ioannem Dallæum, iniquè deprimēdo, & Dionyſium Petavium ſuprà illum adulatoriè nimis extollendo; nempe Petavij veſtigia premens, Valentinianorum *Sigen*, de nudo ſilentio interpretatur, ideóque tanti Viri autoritate, à quo ſua accepit, infrunitam de *Sige* ſententiam ſe poſſe tueri gaudet. Verùm propterea Dallæum traducere non debebat; nec quicquam cauſæ erat cur illi injurioſè inſultaret, eúmque elato ſupercilio deſpiceret; Nam Vir iſte in hiſce ſtudijs, Dallæo longè eſt inferior nec in ſcriptis Patrum æquè ac ille verſatus; cum Dallæus in Antiquitatis monumentis exercitatiſſimus illa penitùs combiberit, & in ſuccum quodammodò verterit.

Coteler. Epiſt. ad Magneſ. pag. 449

XV. Exploſis Vindiciarum auctoris rationibus, quibus probare nitebatur, ſuorum Æonum primas Syzygias accepiſse Valentinianos à Gnoſticis Valentino vetuſtioribus, expendendæ ſuperſunt quas ad Dallæi argumenta adfert exceptiones; primum cui occurrit argumentum ex varijs Tertulliani locis depromptum eſt: Tertullianus ſiquidem de Præſcript. cap.

34. & lib. 1. contr. Marc. cap. 21. docet temporibus Apoſtolorum nullos ſurrexiſſe hæreticos, qui Creatorem univerſorum ſummum & unum eſse Deum negarent, vel de eo controverſiam moverent: Marcionem cum ſuo Apelle & Valentinum SOLOS PRIMOSQVE fuiſse, qui id genus litis moverint. Hinc colligebat Dallæus pag. 298. apud nullos ante Valentinum hæreticos *Logon* ex *Sige* prodeuntem extitiſse; quoniam qui ex *Sige Logon* educunt, ij de creatore Deo controverſiam movent, & alterum Deum ſuſpicari audent, quod ante Marcionem & Valentinum nemo ſuſpicari auſus eſt; Dallæi argumentum in hanc formam compegit Pearſonius pag. 66.

Nemo ante Valentinum docuit alium eſſe Deum præter Creatorem

Omnes qui Bythum & Sigen induxerunt, docuerunt alium eſse Deum præter Creatorem. Ergo.

Qui Bython & Sigen inducerent ante Valentinum nulli fuerunt.

Hujus Syllogiſmi Minorem admittit propoſitionem; Majorem autem negat, & apertè falſam eſse pronunciat; Negatæ propoſitionis rationem hanc profert, ex varijs videlicet Veterum, imprimis Irenæi, teſtimonijs quæ deſcribit, liquidò

conſtare multos ante Valentinum negaſse Deum ſummum creâſse mundum, adeóque præter Creatorem alium Deum eſse docuiſse. Idem ferè dicit in genere Coteletius in Epiſt. ad Magneſ. pag. 449. nullis ad hoc probandum Antiquorum Patrum adductis teſtimonijs: fatetur tamen neminem ante Marcionem (cum quo involvit Magiſtrum ejus Cerdonem) Apellem atque Valentinum apertè ac ipſis verbis plures Deos dixiſſe; & id ſolùm à Tertulliano doceri putat in locis à Dallæo citatis. Ego verò reſpondeo Dallæum non ſuo marte ita argumentatum eſſe, ſed ex Tertulliani verbis ex quibus ſuam elicuit concluſionem, ac proinde Dallæi non eſt propriè iſtud argumentum, ſed ipſius Tertulliani, qui Dallæo illud miniſtravit, ideóque cum hac limitatione illud propoſuit Dallæus, *ſi Tertullianum audimus*, ut eſt à Vindiciarum Auctore obſervatum pag. 68. cùm igitur majorem ſyllogiſmi propoſitionem negat Vir doctus, Tertullianum ferit potiùs quàm Dallæum, qui Tertulliani verbis penitùs adhæſit: Quamvis fortè in eo peccaverit præſtantiſſimus Dallæus: Tertulliani quippe verba contra Veterum conſenſum non erant urgenda, ſed meâ quidem ſententiâ ſatius erat illius mentem benignè

interpretari, quàm eum nudè ac ſimpliciter ſic argumentantem inducere.

Secundum Dallæi argumentum eſt (inquit Pearſonius pag. 68.) ***Hæretici Valentino vetuſtiores omnes ſe ipſi negabunt Logon Siges vel filium vel nepotem induxiſſe.*** Dallæus ſanè hoc dicit pag. 298. Reſpondet Vindiciarum Auctor, neque Gnoſticorum Veterum, neque Valentinianorum quemquam Logon Siges filium induxiſſe, neque de nepotibus Siges aut Gnoſticos illos aut Valentinianos quicquam philoſophatos eſſe: Cùm autem, ait, addit Dallæus, *eam lauream Valentini eſſe, qui ex omnibus Hæreſiarchis illam Æonum ogdoadem princeps inſtituerit, in quâ ex Bytho & Sige per Nun & Alethian Logos cum Zoe prodit*; id omnino dicit quod nemo ante eum affirmavit, cujúſque contrarium multi aſſeruerunt: Nos verò ſuprà fusè demonſtravimus id meritò à Dallæo affirmatum eſſe, omnibúſque Viri docti occurrimus objectionibus, & primam Æonum Ogdoadem à principe Valentino confictam eſſe validiſſimis probavimus argumentis, pergit eruditus Pearſonius, & ita de Dallæo loquitur; ad ſua confirmanda nihil aliud adducit Vir doctiſſimus, quàm quòd *in omnibus ab Irenæo recitatis* Hæreticorum vetuſtiorum XVI.

Theogoniis, non appareat Logi è Sige emiſſio: Quaſi verò hoc non abundè ſufficiat ad Dallæi aſſertionem confirmandam; Ex Irenæo & alijs vetuſtiſſimis Scriptoribus diſcimus quæ fuerint Hæreticorum Valentino vetuſtiorum figmenta, & quæ ipſius Valentini ejúſque Diſcipulorum fabuloſæ Divinitates, apud nullos autem Valentino vetuſtiores *Logon è Sige* emiſſum comperimus: Veteres illi Scriptores de hæreſibus datâ operâ ſcripſerunt; Hæreticorum omnium catalogos non indiligenter contexuerunt, impias eorum doctrinas, commenta, fabulas ac deliramenta accuratè expenderunt, & tamen ſi Vindiciarum Auctorem audimus, vix quicquam certi hac de re ex Antiquorum Patrum monumentis depromere poſſumus, cùm integras omnium Hæreticorum Genealogias non repræſentaverint. Ergo perfunctoriè hoc argumentum tractarunt antiquiſſimi Scriptores, & labore ſponte ſuſcepto maximâ cum negligentiâ perfuncti ſunt? Quomodo igitur exploratas habebimus hæreſeon omnium differentias? Et quomodò alias ab alijs ſecernere poterimus? Si adeò negligentes fuêre Eccleſiaſtici Scriptores, ut ex illis minimè noſſe valeamus quid unaquæque docuerit hæreſis, etiamſi id aſſequi pro

Viridi

virili conemur. Sed ut propiùs ad rem quâ de agitur accedamus, dicat Vir doctus, Num putet Simonem Magum, Menandrum, Saturnilum, Baſilidem, Carpocratem, Epiphanem, & Prodicum, Gnoſticorum omnium Valentino vetuſtiorum famoſiſſimos, Num, inquam, putet eos omnes eandem planè cum Valentino hæreſim confinxiſſe; ſi affirmat, contradicit Irenæo, Tertulliano & quotquot de hæreſibus ſcripſerunt; ſi negat diſcrimen aliquod inter iſtas hæreſes agnoſcit; oſtendat igitur quâ in re differat Valentini hæreſis, à cæterorum Gnoſticorum hæreſibus Valentinianâ antiquioribus: pertendit Dallæus & meritò, *Logi* è *Sige* emiſſionem, peculiarem eſſe Valentinianæ hæreſis characterem; donec igitur Vindiciarum Auctor probaverit hanc *Logi* è *Sige* eductionem, communem eſſe Valentino cum aliis Gnoſtici generis hæreticis, valebit præſtantiſſimi Dallæi aſſertio: Nam quæ de Simonianis ſuprà obſervavit eruditiſſimus Pearſonius, à nobis excuſſa ſunt, & luce meridianâ clarius demonſtratum, falſos eſſe Eliam & Nicetam, necnon ipſum Gregorium Nazianzenum, dùm Simonianis & Marcioniſtis tribuunt, quæ ſolis congruunt Valentinianis. Nec eſt quod Vir doctiſſimus

cauſſetur Irenæi ſilentium, veluti integras hæreticorum iſtorum Genealogias non repræſentaverit; nam quæ ab Irenæo & aliis de fictitiis iſtis Genealogiis nobis tradita ſunt; abundè ſufficiunt ad ſingulas iſtorum hæreſes diſcernendas, aliaſque ab aliis ſeparandas. Sed inquit Pearſonius pag. *69*. ratio ſcribendi ab Irenæo obſervata, à Dallæo minimè eſt perpenſa; ſi cauſam rogas, hanc habebis, obſervo, ait, Dallæi verba; *Primum caput ad Valentinum pertinere oſtendit, & præfixus ei titulus, & ipſa Operis præfatio.* Agnoſco Dallæi verba quæ extant cap. 12. p. 295. Quid ad hæc Vindiciarum Auctor, *imò verò*, inquit, *& præfatio & titulus, & Capitis ipſius tota ſeries oſtendit ad ipſius Diſcipulos illud pertinere, quos ab illo in quamplurimis deſciviſſe omnes notârunt.* Mera profectò cavillatio; Dallæus ſiquidem de Valentino loquitur, non ut illius Diſcipulos hac ejiciat, ut ita dicam, categoriâ, ſed ad excluſionem tantùm aliórum hæreticorum Valentino vetuſtiorum; liquet autem ex Præfationis & Capitis primi lectione, agere Irenæum non de ſolis Valentiniani Diſcipulis, ut ait Vir doctus, ſed etiam de ipſo Valentino, quicquid ſit de titulo Capiti præfixo, apud veterem Irenæi interpretem. Verùm ut probet

Pearſ. pag. 69.

Pearſonius Irenæum integras Gnoſticorum Genealogias non repræſentaſſe, obſervat inter Æonas Baſilidis Valentino ſenioris numerari *Ennoean, eam autem Sigen non nominaſſe Baſilidem,* inquit pag. 70. *quis inde colligat, quod Irenæus hoc non affirmat.* Si locum in quo Ennoea inter Æonas Baſilidis numeratur, indicâſſet eruditiſſimus Vindiciarum Auctor, non minimam à nobis gratiam iniiſſet; Ennoea enim inter Æonas Baſilidis nuſquam comparet, apud eos qui de hæreſibus ex profeſſo tractarunt, Irenæum dico, Tertullianum, Philaſtrium, Epiphanium, Auguſtinum, Theodoretum; Vnde igitur hanc Ennoean tanquam è Baſilidis Æonibus unum hauſerit Pearſonius indicare debebat. Verùm enimverò animadvertiſſe mihi videor hariolationis cauſam, in errorem ſcilicet inductus eſt à Cornario Epiphanii interprete, qui Baſilidis *Phroneſim*, reddidit per *Intelligentiam*, Pearſonius verò *Ennoean* maluit dicere, *Phroneſis* tamen *Prudentiam* proprè ſonat, vel ut loquitur Tertullianus in recenſendis Baſilidis Æonibus *Providentiam.* Sic enim Baſilidis Æones duobus in locis diſponit Epiphanius. Hær. 24. *Ingenitum, ab hoc procreata Mens, à Mente Verbum, à Verbo Prudentia, à Prudentiâ Potentia & Sa-*

pientia, à Potentiâ & Sapientiâ Principatus, Poteſtates & Angeli; Eodem planè ordine fabuloſos iſtos Æonas numerant Irenæus, Tertullianus & alij; De Ennoea Pearſonianá ne γρῦ quidem.

XVII. Ventum eſt tandem ad tertium Dallæi argumentum ex hiſce Irenæi verbis depromptum lib. 1. cap. 5. *Qui eſt primus ab eâ quæ dicitur Gnoſtica hæreſis, antiquas in ſuum characterem doctrinas transferens Valentinus, ſic definivit*; Ita græca Irenæi verba convertit vetuſtiſſimus illius Interpres, nec malè Scriptoris Græci mentem expreſſit; Dallæus poſtquam Irenæi verba Græca adduxit, obſervat Petavium fruſtrà verba iſta *ab eâ quæ dicitur Gnoſtica hæreſis*, cum verbo *transferens* conjungere, & ſic interpretari, ut velit Valentinum intelligi illas doctrinas ex Gnoſticorum hæreſi deprompſiſſe. *Alia* (inquit Dallæus pag. 302.) eſt Irenæi mens, Valentinum *ex illa Gnoſticorum hæreſi primum fuiſſe, qui ex veteribus doctrinis ad ſuam formam tranſlatis & aptatis, quod ſubjicit, dogma tradiderit*; Hanc autem veram eſſe Irenæi mentem probat, 1. ex eo quòd nullus ante Valentinum hæreticus ex Sige Logon ortum eſſe definiverit: 2. quia verbum Græcum μεθαρμόζειν quo uſus eſt Irenæus, propriè eſt μετατιθέναι τὴν ἁρμονίαν, indé-

que ἐπιδιορθοῦν corrigere, emendare; unde concludit veteres illas doctrinas, quæcunque ſint, non totas & integras, & ſicut erant, apud vetuſtiores, immutatas, ſed à ſe mutatas, & pro ſuo arbitrio caſtigatas, & correctas in proprium Valentinum characterem tranſtuliſſe. *Characterem autem Valentini proprium*, nihil aliud eſſe Irenæo putat Dallæus, quàm propriam doctrinæ ejus formam. Firmiſſimum hoc Dallæi argumentum, objectiunculam vocat quidam Societatis Sorbonicæ Theologus; *Non enim*, inquit, *Irenæus de Sige peculiariter agit; verùm de toto Valentini diagrammate. Vbi qui Græcè ſciunt voces* ὁ μὲν γὰρ πρῶτος *nequaquam referent ad* οὕτως ἐξηροφόρησεν. *Ideò ponitur* ὁ μὲν γὰρ πρῶτος *quia præceſſerat* δύο που καὶ τριῶν ὄντων, *& quia ſequitur*, Σεκοῦνδος δέ, ἄλλος δέ. ἄλλοι δέ. Quis non miretur Scriptorem iſtum cui validiſſima argumenta objectiunculæ ſunt vel ſolo halitu diflandæ, & tamen objectiunculam illam ſolvere non poteſt, imò eam attingere aliquomodó reformidat, fortè hoc jus ſibi arrogat ex Doctoratus prærogativâ, ut ſolidiſſima argumenta in objectiunculas, & objectiunculas in argumenta firmiſſima convertere pro arbitrio ſibi licere putet; *Irenæus*, inquit, *non de Sige peculiariter agit, verùm de toto Valentini dia-*

Coteler. in Ep. ad Magn. pag. 449

Digitized by Google

grammate; Quid tum? Nonne in illo diagrammate reperitur *Logi* è *Sige* emiſſio? Satisfaciat Dallæo petenti ut alius Valentini doctrinæ proprius ſibi indicetur character, oſtendatúrque in cæterorum Gnoſticorum Valentino antiquiorum Theogoniis *Logi* ex *Sige* emiſſio? Cùm hoc oſtendere deberet, aliò confugit, & neſcio quas commíniſcitur ratiunculas, ſeu potiùs ſubterfugia, ut ictum declinet, & litem reddat interminabilem; negari non poteſt quin Valentinus novam ſectam condiderit, æquè ac Saturnilus, aut Baſilides, aut quivis de iſto grege alius: Ergo aliquid peculiare habuit, & ab alijs diverſum, alioqui non nova fuiſſet illius hæreſis, cùm id tamen diſertè profiteantur Veteres qui de hæreſibus ſcripſerunt. Affirmat Dallæus Valentini ſectam in *Logi* ex *Sige* eductione à cæteris differre: Duo igitur illius adverſarijs demonſtranda incumbunt; 1. *Logi* ex *Sige* emiſſionem reperiri in fabuloſis aliorum Hæreticorum Valentino ſeniorum Theogonijs: 2. quâ in re conſiſtat proprius Valentinianæ doctrinæ character: Neutrum facit Societatis Sorbonicæ Theologus, quia ſcilicet nodum quem ſolvere non poteſt, Criticæ ſuæ gladio audacter ſecare non veretur hoc pacto, *qui Græcè ſciunt voces* ὁ μὲν γὰρ

πρῶτος *nequaquam referent ad* οὕτως ἐξηνφόρησεν; imò eò omninò referent, neque aliò propriè ſunt referendæ; nec eſt quod dicat ideò poni *hic enim primus*, vel *qui enim eſt primus*, quia præceſſerat *cùm ſint duo vel tres*, & quia ſequitur, *Secundus verò, alius autem*, *alij verò*: Irenæus ſiquidem hoc ſolum ſignificare voluit, ex omnibus Gnoſticis primum fuiſſe Valentinum qui ſic definivit. Doctiſsimus Vindiciarum Auctor aliâ inſiſtere viâ mihi videtur; nam primùm pag. 71. Petavij interpretationem tuetur, etſi meo quidem judicio jure defendi nequeat, ecce Irenæi verba, ὁ μὲν γὰρ πρῶτος ἀπὸ τῆς λεγομένης γνωστικῆς αἱρέσεως τὰς ἀρχαίας εἰς ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλίας μεθαρμόσας Οὐαλεντῖνος, οὕτως ἐξηροφόρησεν. Petavius ſic Latinè reddidit apud Epiphanium Hær. 31. num. 32. *Etenim qui à Gnoſticorum Hæreſi deprompta quædam initia primus peculiaris ad Sectæ formam tranſtulit.* Nemo eſt qui Græca Irenæi Paulò accuratius cum Latinâ Petavij verſione contenderit, qui celeberrimi illius Ieſuitæ interpretationem non exſufflet; Certè vetus Irenæi Interpres Autoris mentem non malè aſſecutus eſt, nec ab illius verbis longè receſſit ita vertendo, *qui enim eſt primus ab eâ quæ Gnoſtica dicitur hæreſis, antiquas in ſuum characterem doctrinas transferens Valentinus, ſic*

definivit. Quivis videt antiquiſſimum hunc interpretem Græca Irenæi fideliſſimè reddidiſſe, & ad eum propiùs accedere recentiorem, qui ſic tranſtulit. *Siquidem Valentinus qui primus ex eâ ſectâ, quæ Gnoſtica nuncupatur, veteres doctrinas ad characterem ſuum & inſtitutum accommodavit, ad hunc modum docet.* Vt ut eſt firmiſſimum eſt, quicquid dicat Pearſonius pag. 72. Dallæi argumentum ex voce πρῶτος deductum hoc pacto, pag. 301. *Si hæc Valentinus ex Gnoſticâ primus definivit, certè nullus ante eum Gnoſticus ſic definiverat, Logon adeò ex Sige fructificatum (quod unum eſt ex illis ſic à Valentino definitis) nemo ante eum Gnoſticus deliraverat.* Vindiciarum Auctor reſpondet Dallæum niti interpretatione, quæ ſententiam Irenæi mirè confundit, & ab ejus mente prorſus aliena eſt, & ſtatuere *Logon ex Sige fructificatum* eſſe unum ex illis à Valentino definitis, cùm Valentinus non dicat *Logon ex Sige*, ſed ex primâ *tetrade fructificatum*, idque non quòd à *Sige* ſed quod ab *Alethiâ* emiſſus eſſet, quæ in eadem tetrade poſt *Sigen* fuit. Quid eſt argutari, ſi hoc non eſt, *Logon* ex primâ tetrade fructificatum eſſe fatetur Pearſonius, *Sige* eſt in primâ illius tetradis Syzygiâ, ergo ex *Sige* ortum eſſe Logon oportet, ſi non imme-

immediatè, ſaltem mediantibus *Nu* & *Alethia*; Verùm ut indicet quiſnam fuerit peculiaris Valentini hæreſis character, dicit pag. 72. Fabulam Triginta Æonum illi propriam fuiſſe, decada & duodecada adjeciſſe opinatur Pearſonius; primam verò Ogdoada à Veteribus accepiſse, & ordinem tantùm ſecundæ tetradis mutâſse; ſed jam ſuprà exploſimus commentum illud de primâ Ogdoade à Vetuſtioribus Gnoſticis acceptâ; ideóque concidit Viri docti ratiocinatio, quæ prætereà Irenæi narrationi omninò adverſatur; quæ dicit de voce μεθαρμόζειν, quòd ſæpe ſimpliciter *transferre*, aut *adaptare* ſignificat, non ſemper, *mutare*, multò minùs in melius, *corrigere* ſcilicet, aut *emendare*, nihili planè ſunt, nec Dallæo quicquam nocent; fatetur enim pleráſque Valentini hæreſis materias eaſdem eſse, quæ vetuſtiorum Hæreticorum, materiarũ verò inter ſe compoſitionem ab ijs diverſiſſimam, & hanc harmoniæ & compoſitionis in aliam formam, ſeu in alium characterem, mutationem ac tranſlationem, deſignat apud Irenæum vox μεθαρμόσας. Cùm ergo ex ijs quæ diſputata ſunt conſtet, ex omnibus vetuſtiſſimis hæreticis, primum extitiſse Valentinum, qui *Logon à Sige progredi*, aut exire docuerit. Illud poſtremò con-

cludendum ſupereſt, omninò ad Valentinum reſpexiſse Auctorem Epiſtolæ ad Magneſios, adeóque Ignatio juniorem neceſsario fuiſse.

XVIII. Excuſſimus tres doctiſſimi Vindiciarum Auctoris aſsertiones, nulliúſque planè ponderis eſse ad ſuum Ignatium tuendum fusè demonſtravimus, ſupereſt quarta quam ita proponit cap. 7. *probari certò non poſſe ipſos Valentini errores Ignatio fuiſſe penitùs incognitos.* Doctor ille Sorbonicus cujus aliquoties mentionem fecimus, obſervat huic ſententiæ patrocinari Victorinum & Autpertum in Apocalypſim, cùm dicunt Valentinum Hæreſim ſuam diſseminâſse vivente Ioanne Apoſtolo ſi Vir ille eruditus loca ex quibus hæc deſumpſit indicaſset, à quærendi labore nos liberaſset; Quicquid ſit neque Victorinus neque Autpertus audiendi ſunt, cùm de re adeò antiquâ loquantur ſine alicujus vetuſtioris autoritate, imò contra omnium vetuſtiorum teſtimonia ſcribant Valentinum hæreſim ſuam diſseminâſse vivente Ioanne Apoſtolo; nam Victorinus anno 303. ut vulgò fertur Martyr pro Chriſti fide occubuit, Autpertus verò octavo ſæculo inclinato vivendi finem fecit; fatetur quidem idem qui ſuprà Scriptor, nonnullos ex

Coteler. in Ep. ad Magn.

Antiquis Valentinianæ luis exortum ad tempora Antonini Pij retuliſse; ſed huic objectioni ſe facturum ſatis putat, ſi dicit Hæreticis de more eſse, diu clam docere, ita ut tunc à quibuſdam cognoſcantur, ab alijs ignorentur; At Victorino & Autperto minùs comperta fuiſse Valentinianæ hæreſis initia par eſt credere, quàm vetuſtioribus Scriptoribus qui diſertè teſtantur Valentinum ſeriùs quàm iſti volunt impium ſuum dogma diſseminâſse; & quia iterùm objici poterat ex Tertulliano De Præſcript. cap. 30. Valentinum ſub Eleuthero Papa vixiſse adhuc, ac proinde juxta Victorini & Autperti ſupputationem, ad centeſimum circiter annum produxiſſe, reſpondet nihil vetare quominùs ad hanc provectam ætatem pervenerit ille Hæreſiarcha, cùm tamen rariſſimum ſit homines denaſci centenario majores, qualis fuerit Valentinus oportet, ſi vivente Ioanne Apoſtolo hæreſim ſuam diſſeminare cœpit; Verba autem Tertulliani quod ſpectat, ea errorem vel mendum continere audacter pronunciat; & tamen nullam prorsùs iſtius aſſertionis adfert rationem, ideóque mihi contemnenda videtur, & eadem facilitate neganda, quâ proponitur. Doctiſſimus Vindiciarum Auctor aliâ viâ procedit, ut

Digitized by Google

probet Ignatium Valentini ſententiam cognoſcere potuiſſe; ſic autem argumentatur pag. 75. *Si Polycarpi doctrina & Ignatio & S. Ioanni & aliis etiam Apoſtolis cognita fuerit, Valentini etiam doctrina ſaltem ab Ignatio cognoſci potuit.* Ego verò conſequentiam iſtius propoſitionis nego, & concedo antecedens; Vir tamen doctus in antecedente probando totus eſt, de conſequente parùm aut nihil ſollicitus; ut hæc omnia clariora evadant, Pearſonij argumentum in hanc formam compingendum eſt.

Quiſquis doctrinam Polycarpi cognovit, Valentini etiam doctrinam cognoſcere potuit

Atqui Ignatius Polycarpi doctrinam cognovit

Ergo Ignatius Valentini etiam doctrinam cognoſcere potuit.

Hujus Syllogyſmi Minorem concedo, Majorem nego; nam ex cognitione doctrinæ Polycarpi, non rectè colligitur hæreſis Valentinianæ cognitio: Quippè Ignatius doctrinam Polycarpi cognoſcere potuit, & Valentini ſententiam ignorare, ut re-vera ignoravit. Ad eam quam nego propoſitionem confirmandam, hoc ſolùm adfert Vir doctus, Valentinum videlicet vivente adhuc Polycarpo mortuum eſſe;

eſto, mortuus ſit Valentinus vivente adhuc Polycarpo: Hinc minimè conſequitur Valentini ſententiam ab Ignatio cognitam fuiſſe, ſcilicet Valentinus mori potuit vivente adhuc Polycarpo, & virus ſuum ſpargere pluribus poſt Ignatij martyrium annis, nulla ſiquidem inter hæc duo contrarietas, ſimile Vindiciarum Auctori proponam argumentum, ut nobis reſpondendo, ſibi pariter reſpondeat; ſed ante omnia duo mihi ſupponenda ſunt; 1. Ordinatores Ioannis Pearſonij Presbyteri ejus doctrinam penitùs cognoviſſe, alioqui eum Presbyterum nunquam ordinaſſent; 2. Ordinatores illos aliquot poſt annis mortuos eſſe, ante natam Dallæi de Ignatianis opinionem, his ita poſitis ſic argumentum meum conficio.

Quiſquis doctrinam Ioannis Pearſonij cognovit, Dallæi etiam de Ignatianis ſententiam cognoſcere potuit.

Atqui ordinatores Ioannis Pearſonij illius doctrinam cognoverunt.

Ergo ordinatores Ioannis Pearſonij Dallæi de Ignatianis ſententiam cognoſcere potuerunt.

Ovum non eſt ovo ſimilius, ideò argumentum noſtrum refellere non poterit Pearſonius, quin ſuum æquè refellat;

unum fortè excipiet Vir doctiſſimus, nempe ex ſuppoſitione noſtrâ conſtare mortuos eſſe Ioannis Pearſonij Ordinatores ante natam Dallæi de Ignatianis opinionem, cùm non conſtet de Ignatij morte ante exortam Valentini hæreſim. Ego verò contendo non minus conſtare de Ignatij Martyrio ante exortam hæreſim Valentinianam, quàm de morte Ordinatorum Ioannis Pearſonij ante natam ex ſuppoſitione Dallæi de Ignatianis ſententiam.

XIX. Dallæus ut id probet obſervat p. 308. vel ipſo Hammondo judice ſatis eſſe παχυλῶς obſervâſſe Valentinum Romam ſub Hygino illius Eccleſiæ Epiſcopo circa A. D. 140. veniſſe. A. D. 144. noſci cœpiſſe: permanſiſſe uſque ad Anicetum, qui A. D. 167. Epiſcopus eſt ordinatus. Poſt hæc ita pergit; Tertullianus etiam ultrà Anicetum ſummovet. Ita enim de Marcione & Valentino; *Conſtat illos* (inquit) *neque adeò olim fuiſſe, Antonini ferè principatu, & in Catholicæ primò doctrinam crediidiſſe apud Eccleſiam Romanenſem, ſub Epiſcopatu Eleutherij benedicti*. Eleutherium autem, ait Dallæus, qui maturrimè, A. D. 171. Epiſcopum ordinatum volunt, Soteris ſucceſſorem, qui Anicetum exceperat. Cùm ergo conſtet Ignatium A. D.

Tertul. de Præſc. c. 30.

107. vel (ut alij volunt) 109. martyrium Romæ feciſſe : clarum certúmque eſt tam multis poſt ejus obitum annis vulgatam Valentini matæologiam Martyri notam eſſe non potuiſſe : ut planè neceſſe ſit Epiſtolæ ad Magneſianos ſcriptorem, qui Valentini Theogoniam ſciviſſe deprehenditur, alium ab Ignatio fuiſſe. Hactenus præſtantiſſimus Dallæus : Doctiſſimus Vindiciarum Auctor negat pag. 76. 77. Valentinum vitam uſque ad Eleutherium produxiſſe, quia Irenæus lib. 3. cap. 4. de illo ſic ſcribit, *Valentinus venit Romam ſub Hygino, increvit verò ſub Pio, & prorogavit tempus uſque ad Anicetum.* Ex his colligit Pearſonius ad tempora Aniceti perveniſſe Valentinum, neque diutiùs vixiſſe ; verba Irenæi Græca ſic tranſtulit Henricus Valeſius Vir doctiſſimus apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. xi. *Valentinus Romam venit Pontificatu Hygini. Viguit autem temporibus Pij, & ad Anicetum uſque permanſit* παρέμεινεν ; ſed qui dicit Irenæus Valentinum ad Anicetum uſque Romæ permanſiſſe, non ſtatim negat illum diutiùs vixiſſe, & ad Eleutheri tempora perveniſſe. Inſtat Vir doctus aítque Valentino competere non poſſe, quod ſcribit Tertullianus loco mox laudato, eum videlicet in Catholicæ doctrinam

credidiſſe, & ſemel ac iterùm ejectum fuiſſe; ſi rogas quare non competat? Quoniam, inquit, *quæ de iteratâ ejectione & perpetuo diſcidio à Tertulliano commemorantur, non Valentino, ſed Cerdoni ab Irenæo tribuuntur lib. 3. cap. 4.* At nihil vetat quin idem Valentino contingere potuerit; Irenæi æqualis propè erat Tertullianus, & quodammodò par, non eſt igitur veriſimile eum, dùm iſta de Valentino ſcribebat, ad Irenæi de Cerdone narrationem reſpexiſſe, & Valentinum Cerdonis loco animi incogitantiâ ſubſtituiſſe, imò Valentini hiſtoriam adeò exactè noverat Tertullianus, ut abſque eo foret, circunſtantiam notatu digniſſimam ignoraremus, cùm de eâ nullam prorsùs mentionem fecerit Irenæus, Valentinum ſcilicet Epiſcopatus ſpe ſe aliquando lactâſſe, & quia repulſam tulit, bellum veritati indixiſſe; *ſperaverat* (inquit Tertullianus adverſ. Valentin. cap. 4.) *Epiſcopatum Valentinus quia & ingenio poterat & eloquio. Sed alium ex martyrij prærogativâ loci potitum indignatus, de Eccleſiâ authenticæ regulæ abrupit, ad expugnandam converſus veritatem.* Si Irenæum latuit adeò memorabilis circunſtantia, nequaquam mirari debemus ſi eum pariter latuerit, iterata Valentini de Eccleſiâ ejectio. Quaſi verò
pietatem

pietatem ſemel & iterùm ſimulare neſciverit vafer ille Hæreſiarcha, ut voti compos fieret, & ad Epiſcopatum promoveretur; donec tandem detectâ illius fraude ac impoſturâ de Eccleſiâ penitùs ejectus eſt. Objicit Vir doctus quæ dicit Tertullianus adverſ. Valent. cap. 5. nempe Iuſtinum Philoſophum & Martyrem ſcripſiſſe adverſus Valentinum, Iuſtinus autem mortuus erat ante Eleutheri Pontificatum; fateor Tertullianum id de Iuſtino ſcripſiſſe, ſed fieri poteſt ut idem Valentinus contra quem ſtilum exercuit Iuſtinus, orthodoxam poſteà fidem ſemel & iterùm mentitus de Eccleſiâ ſub Eleuthero Papa bis ejectus ſit: Si hoc dicis ſibi conſtabit Septimius, nec hîc diruet, quod alibi ædificavit.

Sed largiamur Eruditiſſimo Vindiciarum Auctori, ad tempora Aniceti perveniſſe Valentinum, neque diutiùs vixiſse, nihil propterea proficiet, nec minus fruſtranei erunt illius adverſus Blondellum conatus; Blondellus ſiquidem Præfat. in Apolog. pro Sentent. Hieron. pag. 45. 46. obſervat Valentinum non ante annum à martyrio Ignatij vel XL. vel XXXVI. Hæreticum agnitum eſſe, unde colligit ante eum annum refutari à quoquam non potuiſſe; propoſitionem ſuam probat Cla- **XX.**

riſſimus Blondellus Euſebij teſtimonio qui hæc habet in Chronico ad An. Dom. CXLIV. *Valentinus Hæreticus agnoſcitur, & permanet uſque ad Anicetum*; Ignatius verò ut ſcribit pro fide paſſus eſt, vel An. Dom. 104. juxta Adonem, vel ſecundum alios A. 109. Euſebij verba agnoſcit Pearſonius, *ſed* (inquit pag. 77.) *idem non dicit quod Blondellus, ante hunc annum eum Hæreticum agnitum non fuiſſe*; imò Blondellum ab Euſebio clarè refelli affirmat; quia in Græcis ad annum Antonini Pij tertium habet, *ſub Hygino Romæ Epiſcopo Valentinus propriæ hæreſeos Conditor Romæ agnitus eſt*, unde hanc elicit concluſionem Vir doctus, agnitum eſſe Valentinum tanquam Hæreſiarcham ſub Hygino anno CXLI. ſecundum Euſebium; annus ſiquidem Antonini tertius incidit in Annum Chriſti CXLI. Vult igitur eo anno Romæ agnitum eſſe ſecundùm calculum Euſebianum; alibi antè, reſpondeo primò non extare Euſebij Chronicorum Canonum Græca omnia, ſed tantùm reliquias quas magno labore nec minori induſtriâ collegit Vir ſummus Ioſephus Scaliger; quorſùm ergo reliquias illas præferemus integro Temporum Theſauro quem Latinum habemus ex Hieronymi verſione? Si ex alijs ipſius Euſebij ſcriptis

Digitized by Google

hæ reliquiæ Collectæ fuiſſent, profectò major fides Græcis adhibenda eſſet quàm Latinis: At cùm ex Scriptoribus Hieronymo longè junioribus, præſertim ex Georgio Syncello qui opus ſuum adornavit anno DCCXCII. excerpſerit Scaliger quæ Euſebij nomine in Theſauro Temporum edidit Græcè, nihil cauſæ eſt cur Latina Hieronymi Græcis reliquijs poſtponamus, imò potiùs Anno 144. Romæ innotuiſſe Valentinum, cum Hieronymo, meâ quidem ſententiâ, dicendum eſt, quàm anno 141. juxta Scaligeri excerpta, etſi parùm aut nihil planè referat utrolibet anno agnitus fuerit: ſed (inquit Pearſonius) Romæ tunc agnitus eſt, *alibi antè, imò ante annum CXLIV. ita agnitus eſt ut etiam refutatus ſit, quod fieri non potuiſſe aſſerit Blondellus*; Vt id probet Vir doctiſſimus, adfert primò hæc Euſebij verba in Chronico, ad annum CXLII. *Iuſtinus Philoſophus librum pro noſtrâ religione conſcriptum Antonino reddidit.* Obſervat ſecundò Iuſtinum in eo ipſo libro mentionem facere alterius libri contra hæreſes & Sectas omnes à ſe compoſiti, fateor Iuſtinum in Apologiâ primâ quæ in Editionibus malè pro ſecundâ habetur, hæc ſcribere; *Eſt autem nobis liber contra hæreſes & ſectas omnes compoſitus;*

(

Eum tamen librum Scriptum fuiſſe ſub fine imperij Adriani ut aſſerit Pearſonius pag. 78. apertè nego; nec ut aliter ſentiam moveor iſtis Cedreni verbis, qui de eo Imperatore loquens ait, juxta Viri docti obſervationem; *ſub hoc Iuſtinus Philoſophus contra omnes hæreſes viriliter ſe geſſit.* Ex his omnibus tamen colligit Vindiciarum Auctor, Iuſtinum in eo libro ſcripſiſſe contra Valentinianos, ut teſtatur Tertullianus; ac proinde ante annum CXLIV. non tantùm refutari potuiſſe, contrà quàm volebat Blondellus, ſed reapſe refutatum eſſe, & diſcipulos ejus: Et ante eum annum Hæreticum agnitum eſſe, & diu quidem antè; cùm Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Iudæo, ſub initio Antonini Pij ſcripto, diſcipulorum Valentini tanquam Hæreticorum meminerit, quos vocat *atheos & impios*, & quibuſcum Catholicos communionem nullam habuiſſe teſtatur: Hactenus eruditiſſimus Pearſonius. Verùm fruſtrà ſe torquet ut Valentinum antiquiorem faciat; argumenta quibus id demonſtrare conatur infirma ſunt, & perquam exigui momenti; A Cedreno tantùm habet Iuſtinum librum ſuum contra hæreſes ſub fine imperij Adriani elaboraſſe; quaſi verò audiendus ſit Cedrenus de re adeò

antiquâ ſine vetuſtioris autoritate ſcribens; Cedrenus inquam Scriptor undecimi ſeculi, qui id affirmat, quod à vetuſtiorum nemine obſervatum eſt; Deinde ſi propriè loqui velimus, id non affirmat Cedrenus, ſignificat modò Iuſtinum contra omnes hæreſes viriliter ſe geſſiſſe; illud quidem obſervat, ut ait Pearſonius, de Imperatore Adriano ſcribens: At Amanuenſium incuriâ, vel Scriptorum juniorum ignorantiâ, hoc Iuſtini volumen ſub Antonino Pio elaboratum, ad finem imperij Adriani referri potuit. Nec id mirabitur quiſquam, ſi hæc Gerardi Ioannis Voſſij de Cedreno verba legit, *ut ipſe mutilârat priores, ita ejus quoque volumen mutilârunt juniores, idque judicio nullo, ſine ordine temporum, ſine delectu rerum.* Vindiciarum Auctor qui illud optimè novit, Cedreni verbis non planè nititur, illa quidem profert ut opinionem ſuam de tempore quo Iuſtini liber ſcriptus eſt confirmet, ſed dubitanter profert: Nam poſtquàm dixit; *Eum autem librum ſcriptum ſub fine imperij Adriani vix dubitandum eſt*, addit continenter, *præſertim ſi Cedreno credamus*; aliter ſanè loquuturus erat ſi Cedrenum putaſſet teſtem omni exceptione majorem: ſed quoniam vacillantem hac de re Scriptoris fidem non igno-

Voſſ. de Hiſt. Græc. l. 2. cap. 26. pag. 295.

rabat, illius teſtimonium nequaquam urget, illud adducere contentus, nempe ut ea ſolemus adferre, quibus non adeò facilem præbemus aſſenſum, nec omnimodam adhibemus fidem. Argumentum Viri docti nititur imprimis Euſebij teſtimonio, qui primam Iuſtini Apologiam confert in annum Domini CXLII. Et quia in illâ Apologiâ libri contra omnes hæreſes à ſe compoſiti meminit Iuſtinus, colligit Pearſonius hanc Iuſtini Scriptionem ſub fine Imperij Adriani exaratam eſſe. Sed nego iterùm opus illud à Iuſtino adeò maturè compoſitum eſſe, vel ſaltem in eo ullam Valentinianorum mentionem tunc temporis eſſe factam, quia nondum nati erant, teſtatur quidem Tertullianus ſcripſiſſe Iuſtinum contra Valentinianos, ſed an in eodem libro hoc præſtiterit Iuſtinus nequaquam dicit, alium fortè librum contra eos ſcripſit, niſi malis dicere eum poſt exortam Valentini hæreſim, quæ contra Valentinianos ſcripſit, operi ſuo adjeciſſe, & ut ita contigiſſe credam, faciunt ipſius Iuſtini verba, ex quibus colligere fas eſt, Iuſtinum librum ſuum contra hæreſes nondum vulgaſſe, cùm Apologiam ſuam Antonino Pio reddidit, ſic enim loquitur pag. 70. *Eſt autem nobis liber contra hæreſes & ſectas omnes compoſi-*

tus, quem ſi legere volueritis, dabimus. Nempe penes ſe habebat librum, nec illum publici juris adhuc fecerat, ut pullulantes ſubinde hæreſes configere poſſet. Verùm enimverò ut omnis cavillandi anſa Vindiciarum Auctori præcidatur, affirmare non vereor vel graviter hallucinatum eſſe Euſebium decem circiter annorum prochroniſmo vel à Librarijs interpolatos eſſe annorum numeros, & annum Domini CLII. in annum CXLII. magna animi incogitantiâ mutatum eſſe, cùm Iuſtinus ipſe cui plus credendum eſt quàm Euſebio, diſertè teſtetur ſe Apologiam ſuam ſcribere poſt annum à Chriſti nativitate CL. *Ante annos* (inquit pag. 83.) *centum quinquaginta nos aſſeveramus Chriſtum ſub Cyrenio natum eſſe, docuiſſe autem quæ docuit, poſterius ſub Pontio Pilato.* Ergo vel hallucinatus eſt Euſebius, vel annorum numeri in illius Chronico ab imperitis Librarijs conturbati ſunt, cùm à Chriſti nativitate ad id uſque tempus quo Iuſtinus Apologiam ſuam ſcribebat, fluxerint anni plus quàm centum quinquaginta; Ergo quivis videt exaratam fuiſſe illam Apologiam anno CLII. vel ſaltem anno CLI. Valentinus autem Romæ agnitus fuit anno CXLIV. ut vult Blondellus, vel anno CXLI. ſi Vindiciarum Auctori cre-

Digitized by Google

dimus: Ergo contra Valentinianos ſcribere potuit Iuſtinus vel poſt annum CXLI. juxta Viri docti ſupputationem, vel juxta Blondelli calculum poſt annum CXLIV. & ſcriptionis illius mentionem facere in Apologiâ poſt annum Domini CL. vel CLI. exaratâ. Fruſtrà igitur ad finem Imperij Adriani refert libri Iuſtini contra hæreſes compoſitionem, cùm tardiùs ſcriptum fuiſſe conſtet; Nec obſtat quod Valentinianorum meminit in Dialogo cum Tryphone: Nam Dialogus ille ſub initio Imperij Antonini Pij minimè ſcriptus eſt, cùm ſit Apologiâ poſterior; Apologia autem non exarata fuit ante annum Imperij Antonini decimum-quartum vel decimum-tertium, id eſt ante annum Chriſti CLII. vel CLI. qui quidem anni reſpondent annis XIII. & XIV. Antonini qui regnavit annos XXII. Non me latet Scaligerum Litteratorum ſui ſeculi facilè principem, cujus auctoritate ſe quodammodo tuetur Pearſonius pag. 80. aliter ſentire de tempore quo Iuſtinus ſcripſit Apologiam ſuam & Dialogum cum Tryphone, putat enim Vir ille ſummus Apologeticum ſcriptum eſſe circa initium Antonini Pij; Dialogum verò ſub fine Adriani: ſed pace tanti Viri dixerim, falſus eſt ſuâ opinione, cùm contrarium

Digitized by Google

rium pateat ex Iuſtino, Apologetici ſaltem reſpectu, ut ipſe fatetur Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis, ſic enim ad num. MMCLVII. pag. 219. ultimæ editionis; *Iuſtinus à Chriſto, ad id tempus quo ſcribebat Apologeticum hunc, quum de Marcione loquitur, putat annos CL; quod tempus congruit medio imperio Antonini. Sed conſtat eum circa initium Antonini Pij librum Apologeticum Imperatori obtuliſſe.* Vnde id conſtet ſi rogas, hoc reſponſum feres. *Nam, ut ſuprà monuimus,* (pag. 216.) *de bello Iudaico ſub extremum Hadriani imperium geſto loquens, vocat* τὸν νῦν γεγενημένον πόλεμον, *nuperum bellum.* Profectò ſeriò nobis dolet quòd Viro tanto exciderit ratio adeò infirma: Quaſi verò de bello ante annos circiter quindecim confecto, ita loqui non potuerit Iuſtinus; Nam bellum illud Iudaicum, de quo loquitur, finem accepit anno Chriſti CXXXV. Iuſtinus autem Apologeticum ſcribebat anno CLI. vel CLII. certè bellum ante aliquot annos geſtum meritò dici poteſt *bellum nuperum* ut vertit ipſe Scaliger. Nec melioris eſſet commatis quam adfert probatio ut oſtendat Dialogum cum Tryphone ſub fine Adriani elaboratum eſſe, niſi Iuſtini verba interpolata eſſent, & vox γινομένων in locum γενομένων ſuffecta fuiſſet; il-

H h

la ſiquidem tempus ſignat præſens, iſta verò præteritum, Scaliger Dialogi verba quæ extnat ferè initio ſic legit; *Trypho, inquit vocor, ſum autem ex circumciſione Hebræus*, φύγων τὸν νῦν γινόμενον πόλεμον; Iuſtinus verò τὸν νῦν γενόμενον πόλεμον, quia bellum anteà geſtum deſignat, non autem bellum quod gereretur adhuc cum hæc ſcribebat: Vindiciarum Auctor in eo diſſentit à magno Scaligero, quod ad initia Antonini refert Dialogum cum Tryphone, quem ego compoſitum puto eodem ferè tempore quo liber Apologeticus, ſed poſt eum; Præterea Græca Iuſtini verba proferens, omiſit neſcio quo conſilio vocem γενόμενον, cùm Scaliger γινόμενον ſubſtituiſſet, Pearſonius verò ſic, φύγων τὸν νῦν πόλεμον, vertit tamen *ex nupero bello profugus*: Græca propriè ſonant, *qui fugi ex bello quod nuper, vel quod non ita pridem geſtum eſt*, id eſt noſtrâ ætate. Poſtquàm hæc ſcripſeram memini me aliquando legiſſe in Annotationibus Euſebianis Clariſſimi Viri Henrici Valeſij aliquid explicationi meæ favens; ideóque eas conſului in cap. 8. lib. 4. pag. 64. ubi reperi Virum illum Linguæ Græcæ callentiſſimum, notare Ruffinum, & Chriſtophorſonum qui Græca Iuſtini verterunt apud Euſebium, *in hoc quod nunc geritur bello Iudaico,*

necnon Scaligerum qui in eodem errore verſatus eſt, in loco videlicet à nobis ſuprà indicato & expenſo; *Putavit enim*, inquit, τὸ νῦν *dici non poſſe niſi de re admodum recenti, ne dicam præſenti*; probat tamen Valeſius varijs exemplis νῦν dici poſſe de re quæ noſtrâ ætate facta eſt; idémque valere τὸ καθ' ἡμᾶς, quod Euſebius uſurpare ſolet de rebus multò antè geſtis; Imò Iuſtinus ipſe Apolog. 1. vulgò 2. pag. 72. de Antinoo qui obierat anno Domini CXXX. ita loquitur. ἀντινόου νῦν γεγενομένου, Interpres vertit *Antinoi qui non ita pridem inter homines fuit*; apud Euſebium lib. 4. cap. 8. ἀντινόου τοῦ νῦν γενομένου, Valeſius Latinè reddidit. *Antinoi qui nuperrimè vixit*, quamvis mortuus ſit quinquennio integro ante belli Iudaici finem.

Pergit eruditiſſimus Vindiciarum Auctor, aitque pag. 78. Epiphanium obſervare originem Valentini obſcuram fuiſſe, quod non minimum vetuſtatis indicium putat Pearſonius; Epiphanius equidem Hær. XXXI. quæ eſt Valentini pag. 164. Editionis Petavianæ, ſcribit pleróſque Valentini patriam ignoraſſe, & unde ortus ſit neſciviſſe, quia ſolum illius natale Scriptorum nullus expreſſit; famâ tamen incertâ & ambiguâ didiſcerat Epiphanius Valentinum Phrebonitem eſſe ex XXI.

Ægypti quadam orâ, & inde Alexandriam profectum, Græcorum artibus inſtitutum eſſe. Verùm hoc non diſertè affirmat Epiphanius, ſed in ambiguo poſitam eſſe veritatem teſtatur: Nec quicquam cauſæ eſt cur Vir doctus ex obſcurâ Valentini origine Magnum colligat vetuſtatis indicium: Præterquam enim ex obſcuriſſimis fortè ſatus erat parentibus, Hæreſim aliquandiu occultaſſe videtur, pietatémque ſimulaſſe donec Epiſcopatus ſpe dejectus, ad expugnandam converſus eſt veritatem, ut ſcribit Tertullianus: Num autem in Ægypto vel alibi id contigerit, aut quando contigerit non narrat: Hoc igitur in Ægypto factum non par eſt credere, cùm alibi fieri potuerit; Vir doctiſſimus qui ejuſmodi argumenta infirma eſſe probè noverat, aliâ viâ rem aggreditur, & Valentinum admodum antiquum fuiſſe, ex ipſorum Valentinianorum gloriatione, & ex Veterum monumentis perſuadere conatur. Valentiniani ſiquidem gloriabantur Valentinum auditorem fuiſſe Theodadis; Theodadem verò Pauli familiarem. Verùm ut liberè dicam quod ſentio, nollem Eruditiſſimum Vindiciarum Auctorem ad vaniſſimam Hæreticorum jactantiam confugere, ut Valentino Hæreſiarchæ Anti-

quitatem æquo majorem tribuat ; Ignorátne Pearſonius ſolitos eſſe Hæreticos maximam affectare antiquitatem, ut ſub venerandæ antiquitatis ſpecie incautos decipiant, ac ſimplicioribus imponant. Fatetur quidem Vir doctus Valentinianos eâ in re fallere potuiſſe ; *tamen quia à nobis* (inquit pag. 79.) *refelli non poſſunt, videamus an quod illi tradidêre, cum iis cohæreat quæ à Catholicis prodita ſunt.* Cohærere autem nititur demonſtrare his Irenæi verbis Præfatione lib. 4. *Hi qui ante nos fuerunt, & quidem multò nobis meliores, non tamen ſatis potuerunt contradicere his qui ſunt à Valentino, quia ignorabant regulam ipſorum,* ut aliquid hinc eliciat in gratiam cauſæ ſuæ, obſervat Irenæum loqui de ijs qui ante ætatem ſuam vixerunt, ipſum verò Irenæum non longè à temporibus Apoſtolorum fuiſſe, ut ait Auguſtinus, cui ſuccinit Baſilius, unde colligit Valentinianos fuiſſe propè Apoſtolica tempora, & cum Apoſtolicis Viris converſatum eſſe ipſum Valentinum. Mira profectò ratiocinatio, quæ Viri docti cauſam nequaquam juvat ; Etſi fateamur Valentinianos propè Apoſtolica tempora fuiſſe Irenæi reſpectu, Irenæum verò non longè à temporibus Apoſtolorum reſpectu juniorum, imò Valentinum ipſum cum Apo-

ſtolicis Viris per ætatem converſari potuiſse, cum Polycarpo videlicet & Juſtino eorúmque æqualibus; ſed hinc non ſequitur Hæreticum agnitum fuiſse ante annum Domini CXLIV. vel ante annum CXLI. ut mox putabat ipſe Pearſonius. Inſtat iterùm Vir doctus, & ex Marcionis ætate, de Valentini ævo decerni poſse putat pag. 79. 80. 81. ætatem verò Marcionis ex Irenæo & Tertulliano eruere nequaquam valens, ad Origenis libros contrà Celſum ſe convertit; quoniam Celſus *Marcioniſtarum* in ijs meminit lib. 5. pag. 272. ultimæ editionis GræcoLat. Celſum autem ſub Adriano vixiſse, & poſt Adriani mortem ſub imperio Antonini Pij ſcripſiſse (nempe ſub initio Antonini, non diu poſt mortem Adriani) colligit Pearſonius ex iſtis Origenis verbis lib. 1. pag. 8. *Duos autem fuiſſe Celſos Epicureos accepimus, priorem quidem ſub Nerone, hunc autem ſub Adriano, & poſterioribus temporibus.* Hinc concludit Valentinum longè vetuſtiorem eſſe quàm exiſtimabat Blondellus, quia Veteres omnes docent eum fuiſſe Marcione antiquiorem. Hæc ſumma argumentationis doctiſſimi Vindiciarum Auctoris. Vt huic objectioni fiat ſatis, concedo Valentinum hæreſim ſuam diſſeminaſſe priùs quàm Marcionem, quam-

Digitized by Google

vis ambo eadem circiter ætate vixerint; Celſum verò adeò antiquum eſſe, ut putat Pearſonius, apertè nego; fateor ſcripſiſſe Origenem eum ſub Adriano & posteà vixiſſe; ſed nihil affirmat Origenes, ſe ita accepiſſe ſolùm dicit, adeò ut tota illius narratio incerto nitatur rumore, potiùs quàm certâ veri notitiâ: & ſanè ſi rem attentè conſideramus, non adeò antiquum eſſe reperiemus: Nam cùm Origenes dicit Celſum ſub Adriano fuiſſe & poſteà, ſignificat eum per illud temporis ſpatium floruiſſe, ſic enim loqui ſolent ſcriptores; florere autem non potuit ante annum circiter triceſimum; ponamus igitur medio Adriani imperio floruiſse, Trajani initio natum eſse opportebit, id eſt anno Chriſti XCVIII. vel XCIX. Si ultimis Adriani annis illum floruiſse dixeris, ad annum Trajani circiter ſeptimum, Chriſti CV. ejus nativitatem referre neceſse erit, adjice annis Celſi plus minus triginta, ſeptem vel octo Adriani annos, quibus floruiſſe dicendus eſt, ſi Origenis narrationi credimus; quadraginta circiter annos natus erit, dùm Adrianus naturæ ceſſit; ſi autem quadrageſimum attigerat annum, cùm Adrianus vivere deſijt, ultra Octuageſimum vitam prorogâſſe dicendum erit;

quod non eſt veriſimile. Vt ut eſt conſtat Celſum ſub Adriano non floruiſſe, neque fortè ſub Antonino Pio, niſi ſub fine illius imperij floruerit; vixit potiùs circa tempora Marci Antonini Philoſophi, & ſub Commodo Marci filio; quod ita probo, Lucianus Samoſatenſis librum ſuum qui Alexander ſeu falſus Vates inſcribitur, Celſo nuncupavit, cùm ab eo rogatus eſset ut vitam impoſtoris illius literis mandaret; in eo autem libro meminit Lucianus Marci Cæſaris, ac belli Marcomanici ab eo geſti, neque meminit tantùm, ſed Marcum vocat θεὸν, hoc eſt Divum, quod arguit naturæ ceſſiſse, ac jam locatum fuiſse cœlo, eique ſucceſſiſse Commodum filium, ſuccedere autem non potuit ante annum Domini CLXXX. quo Marcus Imperator in Panoniâ morbo perijt. Celſus igitur ſub Marco & Commodo floruit, & eapropter Marcioniſtarum mentionem facere potuit, quando Marcion hæreſes ſuas circa annum Domini 145. diſseminare cæpit; Et quoniam diſcipulos ſuos docebat adhuc, cùm Iuſtinus Apologeticum primum ſcribebat, nempe circa annum Chriſti CLII. ut demonſtravimus, de eo ſic loqui potuit. *Marcio verò Ponticus etiamnum diſcipulos ſuos docet*; non ut indicet Marcionem diu hæreſim

hæreſim ſuam ſparſiſſe antequam hæc ſcriberet, ut ait Pearſonius, ſed tantùm ut moneat ſupereſſe adhuc Hæreſiarcham illum, ejúſque diſcipulos nondum ſectam ſeparatim conſtituiſſe; ſed inquit Marcioniſtarum meminit Dialogo cum Tryphone pag. 253. Quid tum? inquam ego, Dialogum quippe poſt Apologeticum exaratum arbitramur, & tunc forſan in varias abierant ſectas Marcionis diſcipuli: Prætereà de Marcionis diſcipulis non magis mihi loqui videtur Iuſtinus, quàm de Marci præſtigiatoris ſectatoribus, qui quidem Marcus è Valentini diſcipulis fuit unus: *ſunt eorum* (inquit pag. 253.) *quidam qui vocantur* Μαρκιανοί. Quicquid ſit parùm refert Iuſtinum Marcioniſtarum meminiſſe, cùm de ijs loqui potuerit, ut fusè ſuprà oſtendimus: Nam Cerdon Marcionis Magiſter Romam profectus eſt eodem quo Valentinus anno, ſi Euſebium audimus, cujus hæc ſunt verba in Chronico ad annum Domini CXLI. *Sub Hygino Romanæ Vrbis Epiſcopo Valentinus Hæreſiarches, & Cerdo Magiſter Marcionis Romam venerunt.* In Excerptis Græcis Scaligeri ad eundem annum, notatur utrúmque Romæ ſub Hygino agnitum eſſe; idem planè docet Irenæus lib. 1. cap. 28. & lib. 3. cap. 4. cujus verba refert Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. 4.

cap. 11. Ergo Marcion Cerdoni ſuccedere potuit circa annum CXLV. & Marcionis meminiſſe Iuſtinum anno CLII. Rem autem ita ſe habere liquet ex Epiphanio Hær. 42. ubi narrat Marcionem ob vitiatam Virginem Eccleſiâ ab ipſo Parente Sinopes Epiſcopo pulſum, Romam ſe contuliſſe, & cùm à Presbyteris qui Eccleſiam Romanam vacante Sede poſt Hygini mortem adminiſtrabant, in communionem non admitteretur, Hæreſim architectatus eſt, Cerdonis veſtigijs inſiſtens, quod circa annum Chriſti CXLV. ut mox dicebamus contigit. Hæc adeò clara ſunt ut ſatis mirari nequeam, doctiſſimum Vindiciarum Auctorem affirmare eſſe auſum pag. 81. vel ſaltem ut rem maximè probabilem ſtatuere; Cerdonem ſi non antè, ipſo tamen ſtatim initio Hadriani ſua deliria diſſeminâſſe, ut hinc concluderet Valentinum, quem Cerdone antiquiorem ſupponit, ſua ſpargere potuiſſe ante undecimum annum Traiani, eáque ab Ignatio ante martyrium potuiſſe cognoſci. Nam contrarium planè conſtat ex ijs omnibus quæ hactenus ſcripſimus, necnon ex Veterum omnium teſtimonijs, qui Cerdonem viginti quinque annis plus minus iuniorem faciunt, Valentinum verò circiter triginta quatuor;

vel triginta quinque: Prætereà nihil cauſæ eſt cur Pearſonius Valentini antiquitatem ſupra Cerdonem jactet, ut inſtituto patrocinetur: cùm ijdem Scriptores æquales eſſe Valentinum & Cerdonem teſtentur, & Romam ſub Hygino veniſſe aſſerant: Imprimis Irenæus qui aliquot poſt annis contra eos ſcribebat, illorúmque hæreſes refutabat. Fruſtrà autem Vir doctus neſcio quam Hæreticorum iſtorum ſucceſſionem comminiſcitur, ut Valentinum plus æquo vetuſtiorem reddat, lectoríque perſuadeat Hæreticos quibus de agitur, ſucceſſiſſe alijs alios per varia temporis intervalla, & à ſe invicem pluribus annis diſſitos eſſe: Commentitiam vocavi quam repræſentat ſucceſſionem Eruditus Pearſonius, ratione videlicet ætatis, non autem ratione doctrinæ, alij ſiquidem ab alijs acceperunt ac furati ſunt; Et ſic intelligenda ſunt hæc quæ deſcribit Epiphanij verba Hær. XLI. initio, *Cerdo quidam his & Heracleoni ſucceßit, ex eorum ſcholâ exiſtens.* Epiphanij verbis de ſuo adjicit Vir doctus, *Heracleon Colarbaſo, Colarbaſus Ptolomæo, Ptolomæus Epiphani, Epiphanes Secundo, Secundus Valentino ſucceßit.* Si de doctrinæ ſucceſſione loquitur Pearſonius ferri poſſunt quæ dicit, ſi de ætate, veluti multùm temporis inter illos

interceſſiſſet,fallitur; Nam parùm aut nihil ferè interceſſit. Alij quidem poſt alios dogmata ſua ſpergebant, ſed adeò exiguâ temporis intercapedine, ut ſibi invicem ſucceſſiſſe ratione ætatis vix dici poſſint. Verbi gratiâ Secundus Valentino ſucceſſiſſe dicitur; Epiphanius tamen Hær. XXXII. quæ eſt Secundianorum diſertè teſtatur pag. 208. *Secundum eodem tempore quo Valentinus extitiſſe.* Idem planè dicit Hær. XXXI. pag. 163. neque id obſervat de *Secundo* ſolùm,ſed etiam de *Colarbaſo* & *Ptolomæo, omnes hi*, inquit, *eodem tempore emerſerunt*; nempe nullâ ferè interpoſitâ morâ ſibi proximè ſuccedebant, & hæreſes ſuas alij poſt alios intra exiguum temporis ſpatium diſſeminabant: Prætereà non convenit inter veteres ſcriptores, nùm Heracleon Colarbaſo ſucceſſerit, an Colarbaſus Heracleoni, & Ptolomæus Secundo, aut Secundus Ptolomæo: Nam apud Tertullianum Heracleon præcedit Colarbaſum, imò Ptolomæum apud Theodoretum; apud Philaſtrium verò Secundus Ptolomæo poſtponitur; Epiphanes autem Secundo non ſucceſſit, ſed ei ſe adjunxit ut nos docet Epiphanius. Inſuper diverſa illa Veterum in iſtis Hæreticis recenſendis ratio atque methodus, non aliundè venit quàm ex eo quod eo-

Digitized by Google

dem tempore prodierunt, & exiguo admodum intervallo alij ab alijs diſſiti fuerunt; Vnde colligimus hos Valentini diſcipulos Magiſtri fuiſſe æquales, Valentinum verò Cerdonis, ambo quippe Romam ſub Hygino profecti ſunt, & primis Antonini Pij annis agniti.

XXII. His ita expoſitis & Valentini ætate firmiſſimè conſtitutâ, nihil amplius hac de re dicendum eſſet, niſi Vindiciarum Auctor Dallæum de novo adoriretur, & nos eapropter, ne illum deſeramus, ad Saturnili & Baſilidis ætatem examinandam & explorandam cogeret. Præſtantiſſimus Dallæus ex Saturnili & Baſilidis ætate ſic argumentatus erat cap. 12. pag. 308. *Saturnilus & Baſilides annis poſt Ignatij martyrium pluribus, quàm viginti ſua deliria apud homines ſpargere cœperunt. Valentinus autem poſt hos duos erupit*; fatetur Eruditiſſimus Pearſonius Valentinum poſt eos duos erupiſſe, ſed non magno intervallo; at interim apertè negat ullo modo probari poſſe Baſilidem tot annis poſt Ignatij mortem ſua deliria ſpargere cœpiſſe: Deinde Dallæum reprehendit quod plures quàm viginti annos hoc loco nominat, capite autem X. ad quod lectorem remittit, Epocham Hæreſeos Baſilidianæ figit, & annos XXVII. poſt Ignatij mar-

Pearſ. p. 81. 82. & ſequ.

tyrium numerat. Verùm reprehendendi cachoete laborare oportet, qui ea arguit quæ minimè arguenda videntur. Dallæus enim cap. 10. pag. 286. non ſimpliciter numerat annos XXVII. poſt Ignatij mortem, ſed circiter XXVII. Ignatij martyrium in annum Chriſti CVII. cum Vſſerio conferendo; cap. verò XII. plures quàm viginti annos nominat, plures autem quam viginti anni, ad annos circiter XXVII. extendi poſſunt, vel ad annos circiter XXV. ſi Ignatij mortem conferas, non jam cum Vſſerio, ſed cum alijs in annum CIX. nulla igitur in Dallæi verbis ἀντιλογία, nulláque ideò Vindiciarum Auctori juſta carpendi occaſio. *Verba Euſebij in Chronico*, inquit, *ad annum Hadriani XVII. Domini verò CXXXIV. quaſi fundum ſententiæ laudat Dallæus.* Plura Veterum teſtimonia citat Clariſſimus Dallæus ut probet Baſilidem principatu Hadriani hæreſim ſuam diſſeminare cœpiſſe; Initium facit à Clemente Alexandrino, qui Stromateon libros ſcribebat ſeculo ſecundo præcipiti annos circiter quinquaginta poſt Baſilidis mortem, eadem in urbe in quâ Hæreſiarcha ille peſtiferum ſuum venenum ſparſerat; Hæc autem ex lib. 7. pag. 764. deſcribit; *Infrà* (id eſt poſt Pauli mortem) *circa tempora Hadria-*

Dall. cap. 10. *pag.* 285. 286.

Digitized by Google

ni Imperatoris fuerunt qui hæreſes excogitarunt, & pervenerunt uſque ad ætatem Antonini natu majoris, ſicut Baſilides. Huic Clementis traditioni adamuſſim congruere, obſervat idem Dallæus, Firmiliani Cyprianeo ævo Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopi, teſtimonium quod ſic ſe habet, *ſed & Valentini & Baſilidis tempus manifeſtum eſt, quod & ipſi poſt Apoſtolos, & poſt longam ætatem, adverſus Eccleſiam Dei ſceleratis mendaciis ſuis rebellaverint.* Huc etiam refert quæ dicit Irenæus lib. 3. cap. 3. de Clementis ad Corinthios Epiſtolâ (quam non multis ante Ignatii martyrium annis ſcriptam opinatur Dallæus) nempe *vetuſtiorem eſſe Hæreticis alterum Deum ſuper Demiurgum, factorem horum omnium quæ ſunt, comminiſcentibus.* Et lib. 5. cap. 20. *Omnes iſti hæretici valdè poſteriores ſunt, quàm Epiſcopi, quibus Apoſtoli tradiderunt Eccleſias*, adeóque & Ignatio qui horum Epiſcoporum unus fuit. Nec his contentus Dallæus Euſebium in medium profert qui Hiſt. lib. 4. cap. 7. narrat Saturninum Antiochenum & Baſilidem Alexandrinum principatu Hadriani hæreſes ſuas diſſeminare cœpiſſe, & quidem rectè Clariſsimo atque Eruditiſsimo Valeſio judice; Et in Chronico ad annum Hadriani XVII. Domini verò CXXXIV.

Apud Cypr. pag. 145. ult. edit.

Digitized by Google

Baſilidem Hæreſiarcham exhibet, *à quo*, inquit, *Gnoſtici*. Euſebio ſubjungit Theodoretum qui teſtatur lib. 1. Hæret. Fab. cap. 2. *Saturnilum & Baſilidem*, ambos ſub Hadriano fuiſſe; Et Iſidorum Hiſpalenſem qui Hadriani principatum exhibens, *per idem tempus*, inquit, *Aquila Ponticus, interpres ſecundus poſt LXX. Oritur; Et Baſilides hæreſiarcha agnoſcitur.* Vnum adjiciam teſtimonium ex Græca Hiſtoriarum Synagoge, quam cum Chronico Euſebiano edi curavit Scaliger, depromptum; ibi enim auctor quiſquis ſit principatum Hadriani percurrens, poſtquam obſervavit Marcum primum ex gentibus Ieroſolymitanum Epiſcopum conſtitutum eſſe, addit *Tunc Saturninus Antiochenus & Baſilides Alexandrinus, & Carpocrates variarum hæreſeon patres & architecti agniti ſunt*; Marci autem Ordinationem refert Euſebius in Chronico ad annum Hadriani XIX. Domini verò CXXXVI. Duobus ante Hadriani mortem annis.

XXIII. Videamus jam quid Dallæanis argumentis repoſiturus ſit Eruditiſſimus Vindiciarum Auctor; Obſervat primò pag. 82. Hieronymum in Catalogo, voce *Agrippa*, hæc habere. *Mortuus eſt autem Baſilides à quo Gnoſtici in Alexandria temporibus Hadriani.* Putátque eum reſpexiſſe ad illa

illa Chronici Euſebij verba ad annum Domini CXXXIV. *Baſilides Hæreſiarches in Alexandriâ commoratur, à quo Gnoſtici.* Conjectura eſt Viri docti nullâ ſolidâ ratione ſubnixa; ſed etſi daremus ad illa verba reſpexiſſe Hieronymum, non ideò ſequetur idem eſſe in Alexandriâ commorari, & mori in Alexandriâ, Baſilides quippe Alexandriæ per aliquot annos ſub Hadriano commorari potuit, ab anno videlicet Hadriani XVII. & poſteà naturæ cedere: poſt eum annum nuſquam comparuit, inquit Pearſonius, Vnde hoc hauſit? aliquem Veterum indicet qui id teſtetur? Si ex Euſebij ſilentio illud infert, fruſtrà eſt; Nam Euſebius Hæreticorum ætatem deſignare ſolet, nullámque deinceps aut admodùm raram eorum mentionem facere, niſi fortè dùm Scriptores Eccleſiaſticos ſtilum adverſus illos exercentes exhibet, quod cùm non animadverterit Hieronymus, veriſimile eſt eum in animum induxiſſe ſuum Baſilidem temporibus Hadriani mortuum eſſe; quoniam Euſebius obſervatâ ſemel Baſilidis in Vrbe Alexandriâ commoratione, de illo penitùs tacet in reliquo Chronico. Huic ex Hieronymo deſumptæ exceptioni occurrit Dallæus pag. 287. Baronij rationes refellendo; ſic autem occurrit: *Id neſcio*

quàm verum ſit, certè non videtur cohærere cum iis, quæ Clementem ſuprà audiebamus tradentem, ſcilicet Baſilidem perveniſſe ad Antonini Pij ævum: Appoſita ſanè reſponſio, fieri enim non poteſt ut Baſilides Hadriani temporibus denatus, ſi Hieronymum audimus, ad Antonini Pij ætatem pervenerit, ut tradit Clemens, niſi Hieronymum cum Clemente ita conciliemus, dicendo nimirum Clementem hoc tantùm velle, Baſilidem perveniſſe ad ætatem Antonini excluſivè: Hieronymum verò Baſilidis mortem conferre in ultimum Imperij Hadriani annum: Nam eodem anno Hadriano ſucceſſit Antoninus: Alioquin ſi inter ſe contendantur hi duo teſtes, quin præferendus ſit Hieronymo Clemens, nemo opinor inficias ibit: Clemens ſcribebat annos circiter quinquaginta poſt Baſilidis ætatem: Hieronymus autem pluribus quàm ducentis annis ab illis temporibus fuit remotus: His adde in quinque codicibus manu exaratis libri S. Hieronymi de Scriptoribus Eccleſiaſticis legi *moratus eſt*, pro *mortuus eſt* ut tradit Vir Eruditus Ioannes Cotelerius in lib. 6. Conſtit. Apoſtolicarum pag. 265. hancque tuetur lectionem, utpote Euſebiano Chronico ab Hieronymo converſo apprime congruentem, necnon

Digitized by Google

cum Clementis teſtimonio amicè conſpirantem. Sed quibuſdam alijs Hieronymi verbis adverſus Luciferianos cap. 8. abutitur Pearſonius pag. 83. quæ ſi ad vivum receſentur, & à ſequentibus ſejunguntur, apertè falſa ſunt: Nam innuere videntur Baſilidem Apoſtolorum temporibus fuiſſe. *Apoſtolis adhuc* (inquit) *in ſæculo ſuperſtitibus, &c. Tunc Simon Magus & Menander, diſcipulus ejus, Dei ſe aſſeruere virtutes: Tunc Baſilides ſummum Deum Abraxas, cum trecentis ſexaginta quinque editionibus commentatus eſt.* Pearſonius *Æonibus* legit pro *editionibus*: Ego potiùs ſinerem, *cum trecentis ſexaginta quinque editionibus*, totidem enim cælos ab Angelis fabricatos ſomniabat, ac proinde trecentas ſexaginta quinque editiones ſeu probolas. Dico igitur Hieronymi verba falſa eſſe & Vetuſtiorum adverſari teſtimonijs, ſi quæ de Baſilide narrat ad Apoſtolorum tempora referantur: Verùm ne ad illud tempus referamus, faciunt ſequentia à Viro docto præterita, quamvis aliam ſibi fuiſſe mentem in illis declaret: Nam poſt enumeratos aliquot Hæreticos, Simonem, Menandrum, Nicolaum, Saturninum, Baſilidem, Ophitas, Carpocratem, Cerinthum, Ebionem, & cæteras peſtes, continenter adjicit, *quorum plurimi, vi-*

Digitized by Google

vente adhuc Ioanne Apoſtolo, eruperunt, hoc eſt paulò ante ejus mortem, quæ contigit ut vulgò creditur, anno Domini centeſimo vel centeſimo primo: Hieronymus non de omnibus quos recenſuit Hæreticis id aſſerit, ſed de plurimis, è quorum numero non fuêre Saturninus, neque Baſilides Saturnino poſterior, nec, meo judicio, Menander ipſe amborum Magiſter, giſter; niſi ultimis S. Ioannis vitæ annis eum vixiſſe dixeris, teſtatur enim Theodoretus Hæret. Fab. lib. 2. in Præf. Menandrum ſuperſtitibus Apoſtolis extitiſſe, hoc eſt paulò ante D. Ioannis obitum, præterea benignâ interpretatione egent Theodoreti verba, aliter non ſibi conſtabit celeberrimus Scriptor. Inſtat tamen Vindiciarum Auctor, aitque Baſilidem, ſi Baſilidianis ipſis credamus, habuiſſe Magiſtrum Glauciam, fuiſſéque illum Glauciam S. Petri interpretem. Ita quidem Baſilidiani apud Clementem Alexandrinum, qui eorum gloriationem contemnit, ridétque commentum lib. 7. Strom. pag. 764. Tamen ſi Virum doctum audimus non hoc ſtatim repudiandum quòd à Baſilidianis dictum ſit, quòd ei ætati minimè repugnat quam noſtri etiam agnoſcunt. Attonitus certè hæreo, dùm ejuſmodi audio paradoxa, ſeu po-

tiùs ſuavia vigilantium ſomnia, noſtrorum ſiquidem nullus hanc Baſilidis ætatem agnovit, ſed eâ longè inferiorem: *Si Glaucias*, pergit Pearſonius, *erat interpres S. Petri*, *Synchronus fuit Menandro*, *quem omnes fatentur diſcipulum fuiſſe Simonis Magi.* Siccine φιλόμυθος eſt Vindicia-Auctor ut commentitio Baſilidianorum Glauciæ à Clemente reprobato, favorabilis ex ſolo cauſæ ſtudio eſſe velit: Menandrum autem Simonis diſcipulum fuiſſe ambiguè dicitur: *Diſcipulus* enim vel auditorem deſignat, & hoc ſenſu Menandrum Simonis diſcipulum fuiſſe non eſt veriſimile; aliter vix eſt credibile Baſilidem qui Menandrum Magiſtrum habuit, ad ætatem perveniſſe Antonini Pij, juxta Traditionem Clementis Alexandrini: nam mortuus eſt Simon ſub Nerone; vel potiùs ſub Claudio cui ſucceſſit Nero A. D. LV. Nero autem ipſe obijt anno Domini LXIX. Ergo tunc temporis Menander XXXV. vel XXXX annos natus erat, cùm pluribus ante Neronis mortem immò ante ejus Imperium annis Simoni eum operam dediſſe opportuerit, ſecundum Viri docti ſupputationem; Ergo medio Trajani Imperio erat annorum LXXX. plus minus; ætate autem adeò provectâ illum docuiſſe par non eſt crede-

Digitized by Google

re: docuiſſe autem tùm neceſſe eſt, immò etiam tardiùs, ſi illo Magiſtro uſus eſt Baſilides, qui Hadriani temporibus agnitus eſt, ut unâ voce teſtantur Veteres, niſi Magiſtrum eum dicas Scriptorum reſpectu, non autem vivæ vocis. At ſi per diſcipulum ſectatorem intelligis, Simonis diſcipulus fuit Menander, nam illius fuit ſectaror ac ſucceſſor, ut loquuntur Irenæus, Euſebius & Theodoretus; Hinc liquet non floruiſſe Menandrum ſub Veſpaſiano, ut dicit Pearſonius, neque ſub Domitiano, ſed ſub Trajano, ſub quo illius meminit Euſebius Hiſt. lib. 3. cap. 26. Eruditiſſimus Pearſonius aliquod quærit præſidium in hiſce Epiphanij verbis Hær. 31. num. 2. quæ deſcribit juxta Petavij verſionem, poſtquam Græca exhibuit. *Valentinus iſte prioribus illis à me anteà commemoratis tempore eſt poſterior, Baſilide nimirum ac Saturnilo, Ebione, Cerintho ac Merintho eorúmque ſocijs. Siquidem omnes uno tempore ad humani generis exitium profuſi ſunt: Quanquam Cerinthus ac Merinthus & Ebion paululum antegreſſi ſunt.* Hinc colligit Vir doctus non multum temporis interceſſiſſe inter Cerinthum Hæreticum in Aſiâ agnitum antequam S. Ioannes Evangelium ſcripſerat, & Baſilidem, teſte Epiphanio. Si tempus illud Vindiciarum

Auctori limitare libuiſſet, illius mentem faciliùs perciperemus: ſed quoniam id facere neglexit, reſpondemus Epiphanium de tempore loqui in genere, ut oſtendat Valentinum cæteris quos nominat Hæreticis poſteriorem eſſe, quantum autem temporis interceſſerit inter eos & Valentinum non dicit, nec quantum à Cerintho remotus fuerit Baſilides decernit; hoc ſolùm vult Epiphanius, hæreticos illos eadem ætate exortos eſſe, nempe intra ſpatium annorum circiter quadraginta plus minus quod veriſſimum eſt; non me latet has voces *eodem tempore* brevius aliquando tempus deſignare: At ne ita hoc in loco eas explicemus vetat quod tractamus argumentum; quia aliunde conſtat Baſilidem à Cerintho remotiorem eſſe quàm putat Pearſonius. Inſtat Vir doctus & iſta Epiphanij verba urget *quanquam Cerinthus, ac Merinthus & Ebion paululum antegreſſi ſunt.* Eſto, non ideò ſequetur Baſilidem Cerintho tam vicinum fuiſſe, quàm arbitratur Vindiciarum Auctor; Iuſtinus ſuprà bellum nuperum vocabat, bellum ante quindecim annos geſtum; quidni etiam Epiphanius de ſpatio annorum circiter quadraginta, tanquam de modico tempore loqui potuerit? Præterea Petavij verſio quam ſequutus

eſt Pearſonius, Græco textui non reſpondet adamuſſim; verſio quippe Latina de Cerintho ipſo loquitur; Græcus verò contextus de illius ſectatoribus; ὀλίγῳ δὲ πρόσθεν μᾶλλον οἱ περὶ Κήρινθον, καὶ Μήρινθον καὶ Ἐβίωνα; Quivis videt non de ipſis agi Hæreſiarchis, ſed de eorum ſectatoribus, qui Magiſtris poſteriores fuêre, & quos Epiphanius eodem in loco ſub his vocibus complexus eſt, καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτοὺς, Petavius reddit *eorúmque ſociis*, vertendum erat *eorúmque ſectatoribus*: verbi gratia οἱ ἀμφὶ ſeu περὶ τὸν Ἐπίκουρον, ſunt Epicurei Epicuri diſcipuli ac ſectatores; Illi autem Cerinthi ſectatores Valentinum modico tempore antegreſſi ſunt; nam cum Saturnino & Baſilide prodire cœperunt ut teſtatur ibidem Epiphanius; Saturninus & Baſilides Valentinum non magno intervallo præceſſerunt, ſi Virum doctum audimus; Valentinum ante annum Domini CXLI. vel CXLIV. nequaquam agnitum eſſe fusè demonſtravimus; Ergo non longè ante illud tempus exorti ſunt ſi Epiphanio credimus, quibus de agitur Cerinthi ſectatores. Aliud habet Pearſonius quo ſe tueatur pag. 82. illud ſcilicet quod tradit Euſebius Hiſt. lib. 4. cap. 7. de Agrippa Caſtore, quòd ſub imperio Hadriani Baſilidis luculentam confutationem ſcripſit, in

in quâ & mentionem fecit XXIV. librorum ab eo in Evangelium ſcriptorum, neque tantùm adverſus Baſilidem, ſed & filium ejus Iſidorum ſcripſit teſte Theodoreto; Vnde concludit Pearſonius Baſilidem qui ſub Hadriano tot libros ediderat, filiúmque ac diſcipulum notum etiam ſcriptorem tunc habuit, ſub Trajano ſua docuiſse par eſse credere: mera conjectura nulla ſolidâ ratione fulta. Agrippa Caſtor ſub fine imperij Hadriani Baſilidem confutavit; potuit ergo tot libros anteà ſcribere, & forte etiam antequam hæreſim ſuam ſpargere cœpiſset; Iſidorus verò filius ejus eodem tempore figmenta ſua diſſeminabat, & eapropter ab eodem Agrippa refutatus fuit; Recentiorum teſtimonia, Ioelis videlicet Chronographi, & Albufaraij non moror, quoniam de rebus adeò antiquis ſine vetuſtiorum autoritate loquuntur, immò ijs planè contraria docent.

XXIV. Exploſâ igitur falſâ Eruditiſſimi Vindiciarum Auctoris Chronologiâ, examinandæ ſuperſunt, quas opponit ad Veterum à Dallæo allata teſtimonia exceptiones: Inchoat à Clemente Alexandrino, cujus locum mirè corruptum arbitratur pag. 84. 85. Verùm de totâ pericope non agitur, nollem enim diffiteri quin

aliquam experta ſit interpolationem, in fine præſertim & fortè etiam in principio: Sed affirmare non vereor ſana eſſe & integra, omníſque prorſùs corruptionis expertia quæ deſcripſit Dallæus ad ætatem Baſilidis conſtituendam,& affirmabit mecum quiſquis locum ipſum conſulere non dedignabitur: Adeò clara ſunt omnia ac perſpicua, ut illum ſponte cæcutire opporteat, aut nimio φιλονεικίας amore corripi, qui de illis litem ſit moturus; Sed ſi corrupta non ſunt, malè intellecta eſſe contendit Pearſonius; Cur ita? Quia Clemens, inquit, *non dicit eos de quibus loquitur ſub Hadriano primùm ſua deliria docuiſſe. Hoc tantùm dicit, eos qui hæreſes excogitârunt circa tempora Hadriani extitiſſe.* Egregium ſubterfugium; Vnde quæſo Hæreticorum ætatem novimus, niſi ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui eam nos ignorare non patiuntur? Clemens Alexandrinus vetuſtiſſimus Scriptor & Irenæi æqualis diſertê teſtatur Baſilidem circa tempora Hadriani hæreſim ſuam excogitaſſe, & uſque ad ætatem Antonini Pij perveniſse; tamen ecce paraphraſim iſtorum verborum quam exhibet Vir doctus pag. 83. Menander floruit ſub Veſpaſiano, Baſilides eum audivit ſub Domitiano, ſub Trajano hæreſim ſuam efformavit atque pro-

didit. Scholam ſub Hadriano condidit; Hanc Pearſonij explicationem, verborum Clementis paraphraſim vocare non dubitavi, quia ad ea illum reſpexiſse par eſt credere, ut videlicet Clementem in ſuam ſententiam obtorto collo traheret; quamvis Clemens nihil omninò dicat de Domitiano neque de Trajano, non prætermiſſurus certè ſi ſub Domitiano Menandrum audiviſset Baſilides, hæresímque ſúam ſub Trajano efformaſſet atque prodidiſſet. Si valet Viri docti ratiocinatio, ejúſque Veteres interpretandi methodus, nihil certi remanebit in totâ antiquitate Eccleſiaſticâ, cujus ſtudio nuncium mittere oportebit, niſi oleum & operam perdere velimus: Scriptores Eccleſiaſtici ob nihil aliud tempora quibus floruere Hæretici ſignant, quàm ut eorum exploratam ætatem habeamus, neque eos ſuas hæreſes priùs diſſeminaſſe putemus, eorum ergo teſtimonijs ſtandum eſt, nec ea pro arbitrio ſollicitare cuipiam licitum eſſe debet. Cùm igitur præter Clementem Alexãdrinum plures alij Scriptores à Dallæo laudati idem prorſus de Baſilidis ætate tradiderint, fruſtra ſe torſit Vir doctus ut eum antiquiorem eſſe oſtenderet, Veterúmque teſtimonia contra illorum verba ac mentem interpretaretur, hiſtorias &

Chronologias nobis non ex rerum veritate, ſed ex ſuo commodo contexendo. Verba autem Henrici Valeſij quæ ſugillat Pearſonius pag. 86. 87. commodè explicari poſſunt, ſi dicimus hanc eſſe Valeſij mentem, ſub Hadriano videlicet Hæreticos primùm ex latebris prodijſſe, hoc eſt magno cum impetu & velut agmine facto erupiſſe, impiáque ſua dogmata tunc certatim ſpargere cœpiſſe, quod veriſſimum eſt. Accedo jam ad Firmiliani Cæſareæ in Cappadociâ Epiſcopi teſtimonium; *Sed & Valentini* (inquit) *& Baſilidis tempus manifeſtum eſt, quod & ipſi poſt Apoſtolos, & poſt longam ætatem adverſus Eccleſiam Dei ſceleratis mendacijs ſuis rebellaverint.* Reſpondet Pearſonius pag. 87. Firmilianum loqui non de initio hæreſeos Baſilidianæ, ſed de Baſilidis rebellione contra Eccleſiam. Faceta ſanè diſtinctio, quaſi Hæretici adverſus Eccleſiam non rebellent, ubi primùm hæreſes ſuas diſſeminant: Reſpondet ſecundò per Apoſtolos intelligi debere Petrum & Paulum; ſed hæc reſponſio non eſt priore ſolidior: Firmilianus de Apoſtolis loquitur in genere & indefinitè; Vir doctus tamen ad Petrum & Paulum, ut cauſæ inſerviat, Firmiliani verba reſtringit. Verùm enimverò ut appareat iſtiùs reſponſionis vanitas,

conſulenda ſunt quæ immediatè præcedunt apud Firmilianum; *cùm & Marcion Cerdonis diſcipulus inveniatur ſerò poſt Apoſtolos & poſt longa ab eis tempora, ſacrilegam adverſus Deum traditionem induxiſſe.* Negari non poteſt quin per Apoſtolos hoc in loco intelligendi ſint omnes Apoſtoli; Marcion enim peſtiferum ſuum venenum Apoſtolis omnibus jam extinctis ſpargere cœpit, fatente ipſo Vindiciarum Auctore, qui Cerdonem Marcionis Magiſtrum ipſo ſtatim initio Hadriani ſua deliria diſſeminâſſe putat, quamvis id ſeriùs præſtiterit. Quorſum igitur per eoſdem Apoſtolos, cum de Baſilide agitur, non omnes intelligemus Apoſtolos? Vtróque enim loco eadem mens Firmiliano, eadémque ferè locutio: *Firmilianus*, inquit Pearſonius, *ita ſeipſum explicat, dum Stephanus vapulat*; ita Viro docto videtur, ſed egregiè fallitur; hanc tamen Firmiliani explicationem ſe reperiſſe opinatur in iſtis verbis, *adhuc etiam infamans Petrum & Paulum beatos Apoſtolos, quaſi hoc ipſi tradiderint*. Hinc colligit Firmilianum hos duos ſolùm deſignaſſe Apoſtolos, dum dixit Baſilidem *poſt Apoſtolos adverſus Eccleſiam Dei rebellâſſe*. Sed animadvertere debebat Vir doctus, Firmilianum ultimo in loco Petri & Pauli tantùm meminiſſe,

Digitized by Google

quoniam ex omnibus Apoſtolis hos ſolos in Epiſtolis ſuis hæreticos execratos eſſe exiſtimabat, nóſque ut eos evitemus monuiſſe; nam poſt hæc verba, *quaſi hoc ipſi tradiderint*, continenter ſubjicit, *qui in Epiſtolis ſuis Hæreticos execrati ſunt, & ut eos evitemus monuerunt*. Præterea quomodo manifeſtum erit Baſilidis tempus, ſi cum Viro docto dicas eum ſub Trajano floruiſſe, cùm cæteri Scriptores Eccleſiaſtici temporibus Hadriani agnitum eſſe rotundè pronuncient. Nihil dico de argumento ex Epiſtolæ Clementis antiquitate deprompto, quia de illius Epiſtolæ ætate non planè convenit inter Doctos; Irenæi verò teſtimonium quod ſpectat haud exigui mihi videtur eſſe momenti, *Omnes iſti Hæretici* (inquit lib. 5. c. 20.) *valdè poſteriores ſunt, quàm Epiſcopi, quibus Apoſtoli tradiderunt Eccleſias*, queritur ſtatim Vir doctus Dallæum omiſiſſe verba quæ ſequuntur, *& hoc in tertio libro cum omni diligentiâ manifeſtavimus*; ſed parùm referebat ea deſcribere, cùm diſertiùs teſtari non poſſet omnes illos Hæreticos de quibus hactenus egerat, Ignatio valdè eſſe poſteriores, Ignatius ſiquidem horum Epiſcoporum quibus Apoſtoli Eccleſias tradiderunt unus fuit. *Sed* (inquit Pearſonius pag. 88.) *nihil hoc loco dicit, quod*

non antea dixerat (hoc eſt in libro tertio) *At cum omni diligentiâ uteretur , nihil de ætate Baſilidis dixit, de qua nunc diſputatur.* Si id largiamur Viro docto, non propterea minoris erit ponderis expreſſiſſimum Irenæi teſtimonium, qui ſine ulla ambage loquitur, quicquid de cætero in tertio libro præſtitum ſit : Deinde ſi in tertio libro nihil de ætate Baſilidis præcisè dixit , illam tamen ſatis ſupérque indicavit , imprimis dum Valentinum veniſſe Romam ſub Hygino tradidit , increviſse ſub Pio, & prorogâſse tempus uſque ad Anicetum ; Nam Baſilides Valentinum quidem præceſſit, ſed non magno intervallo, ut fatetur Vir doctus ; Tandem, uti ſpero, omnibus Vindiciarum Auctoris ad argumentum à Valentini Sige deductum exceptionibus abundè reſponſum eſt, quatuor ejus Aſsertiones quæ totidem continentur capitibus accuratè expendimus , rationes quibus Aſsertiones ſuas ſtabilire niſus eſt refellimus, objectiones omnes ſolvimus, & argumentis haud infirmis demonſtravimus, pulſari ab Auctore Epiſtolæ ad Magneſios Valentini hæreſim , pluribus poſt Ignatij martyrium annis exortam. Vnde nobis oritur certiſſima ſuppoſitionis nota, quæ ſi ſola eſset abundè ſufficeret , ut Ignatio abjudicentur

Iræn. lib. 3 cap. 4.

quæ illius nomine circumferuntur Epiſtolæ cùm ſint ſpuriæ ac nothæ, à plano quodam ſeu impoſtore diù poſt ſanctiſſimi Martyris mortem confictæ & conſarcinatæ.

XXV. Quæ cùm ita ſint â pluribus Dallæi argumentis examinandis ac vindicandis abſtinere poſſem : Nihilominus tamen quædam alia breviter percurrere non gravabor. Eruditiſſimus Vindiciarum Auctor cap. 8. quatuor illius expendit argumenta cap. 13. comprehenſa, primum ductum eſt ex quibuſdam Epiſtolæ ad Smyrnæos verbis ; Sed hunc locum obiter tangit Dallæus, ut obſervat ipſe Pearſonius ; & illum proferre contentus , nequaquam urget pag. 313. Secundum , quadam Dallæi conjecturâ nititur , nempe opinatus eſt Vir doctiſſimus fuiſſe Ignatij ævo in militiâ Romanâ , certum quendam militum ordinem Leopardorum appellatione nuncupatum , quoniam ad Romanos ſcribit Epiſtolicus Ignatius, *vinctus ſum decem Leopardis , quod eſt militaris ordo* : Sed quando his ſolis verbis nititur Dallæi argumentum, nulliúſque veteris Scriptoris fultum eſt teſtimonio , non uſquequáque ſolidum mihi videtur. Tertium quo Ignatianas impugnat Epiſtolas argumentum , ex eo ducitur quod Scriptor publicè pœnitentes

nitentes admittat, & poſt ſatisfactionem reconciliet Eccleſiæ, quod tempore Martyris nondum obtinere arbitrabatur. Verùm falſus eſt ſuâ opinione præſtantiſſimus Dallæus, eámque propterea emendaturus erat ſi vixiſſet, ut amico reſcripſit, qui hac de re illum monuerat, eíque loca pro receptione pœnitentium apud vetuſtiſſimos Eccleſiæ Scriptores indicaverat. Quartum Dallæi argumentum majoris eſt momenti, & Oneſimum ſpectat, de quo Scriptor Epiſtolæ ad Epheſios ita loquitur; *Plurimum enim multitudinem veſtram in nomine Dei ſuſcepi in Oneſimo, qui in charitate inenarrabili eſt, veſter autem in carne Epiſcopus*: Pertendit Dallæus hanc de Oneſimo narrationem, temporum ſeriem turbare, & Epiſtolæ auctorem loqui de homine velut vivente qui jampridem erat mortuus; Vt id probet obſervat ex Vſſerio pag. 316. Græcorum Menæa & Symeonem Metaphraſtem non agnoſcere Oneſimum Martyrem fuiſſe Epheſi Epiſcopum, Conſtitutionum Apoſtolicarum Scriptorem affirmare eum Berææ Epiſcopum fuiſſe, Dorotheum & Hippolytum aſſerere Gaium Timothei in Epheſino Epiſcopatu ſucceſſorem fuiſſe. Nicephorum denique tradere Oneſimum ſub Domitiano obijſſe. Eruditiſſimus Vindiciarum Au-

ctor pag. 97. negat hinc ſequi, Oneſimum quendam Gaij ſucceſſorem Epheſo minimè præfuiſſe, cùm Ignatius ad martyrium tractus eſt: Nempe fieri poſſe putat Vir doctus duos fuiſſe Oneſimos, quorum alter ſub Domitiano Martyr obierit, alter verò Gaio Epiſcopo Epheſino ſucceſſerit, eíque Eccleſiæ præfuerit, dum Ignatius vinctus Romam ducebatur; Reverendiſſimus Vſſerius hunc nodum paulò aliter ſolvit, ſuſpicatur videlicet duos fuiſſe Oneſimos, utrúmque Epheſi Epiſcopum, unum Seniorem, Pauli diſcipulum, ſub Domitiano paſſum: alterum Gaij ſucceſſorem, Ignatio ſuperſtitem. Dallæus huic diſtinctioni ſic occurrit pag. 316. *Sed hæc ne admittantur, prohibet primò Bedæ, Adonis, Notkeri, & aliorum fides, qui iſtum ab Ignatio Epiſtolico memoratum Oneſimum magno omnes conſenſu Pauli diſcipulum fuiſſe affirmant.* Pearſonius ait ſe talem conſenſum non reperire; quia ſolus Ado de Ignatij Oneſimo mentionem facit in libello de feſtivitatibus Apoſtolorum ad XIIII. Kalend. Mart. Reliqui eundem Oneſimum Philemonis ſervum à B. Paulo Epheſinæ Eccleſiæ poſt Timotheum conſtitutum fuiſſe Epiſcopum tradunt, nullâ Ignatij mentione factâ; obſervat præthereà idem Pearſonius Adonem qui Oneſimum S.

Vſſer. Not. in Epiſt. Ignat. ad Epheſ. Not. 9. pag. 5.

Pauli Ignatianum facit, non narrare eum ſub Domitiano obiiſſe. Narrat Nicephorus, nuperus eſt ſcriptor, ait Vir doctus, & quia ſolus refert eâ tempeſtate martyrium ſubijſſe Oneſimum, non immeritò illi fidem denegare Baronium aſſerit, præſertim ſi de Epiſcopo Epheſino intelligatur. *Nam ſi ille Epiſcopus* (inquit pag. 97) *Beræ fuit, non autem Epheſi, ut alij Nicephoro antiquiores volvere, ad nos non pertinet Quis enim non videt Oneſimo S. Pauli, Epiſcopo Beraæ, temporibus Domitiani defuncto, Oneſimum alium poſt Timotheum & Gaium Epheſo præeſſe potuiſſe ſub imperio Trajani.* Si rem ipſam conſideres fieri potuit quod dicit Vir doctus, ſed ſi Traditionem ſpectes nequaquam; Nam Beda, Vſuârdus, Notkerus & Ado teſtantur Oneſimum Pauli Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopum Ordinatum eſſe; immò eundem eſſe cum Ignatiano disertè tradit Ado Hinc forte nata Clariſſimi Vſſerij ſuſpicio, qui, ſi Dallæum audimus, ſuſpicatus eſt duos fuiſſe Oneſimos, utrúmque Epheſi Epiſcopum, ita Vſſerij mentem interpretatus eſt præſtantiſſimus Dallæus, etſi forte aliam explicationem ferre poſſint verba à Reverendiſſimo Vſſerio uſurpata, Not. in Epiſt. Ignatij ad Epheſ. pag. 5.

Quidquid ſit Vir doctus primæ diffidens XXVI.

ſolutioni, alteram profert, ut oſtendat Oneſimum Philemonis ſervum & Epheſi Epiſcopum ſub Domitiano martyrium non ſubiiſſe, ſic autem ratiocinatur, Oneſimus vel Gaio vel Timotheo ſucceſſit (expungatur Gaius, nam poſt Timotheum ſediſſe tradunt, qui de illius Epiſcopatu Epheſino loquuntur) Timotheus primus Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſub Veſpaſiano martyrio conatus fuit, ut tradit Nicephorus, teſtatúrque ejuſdem Martyrium in Bibliotheca Photij Cod. CCLIV. Perſecutio ſecunda ſub Domitiano extremis illius Imperatoris temporibus excitata eſt. Sub hac perſecutione obdormiviſſe Timotheum credendum eſt, brevis autem ea fuit. Iam quis credet Oneſimum, qui ſi fortè in Epheſinâ Eccleſiâ Timotheo, Epiſcopus ſuffectus eſt, ſub eadem perſecutione paſſum fuiſſe, & non potiùs ad undecimum Trajani annum perduraſſe? Hactenus Eruditiſſimus Pearſonius. Ego verò illi concedendo Timotheum primum fuiſſe Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopum, quamvis propriè Epiſcopus nuſquam fuerit, ſed Evangeliſta & veluti ſecundus Apoſtolus, nulli privatæ Eccleſiæ alligatus. Ego inquam aliter ratiocinabor, Timotheus ut tradit Nicephorus, cui ſuccinit ejuſdem Martyrium apud

Photium, ſub Veſpaſiano martyrio coronatus fuit (ita Vir doctus pag. 98.) Ergo ſub Domitiani perſecutione eum obdormiviſſe non credendendum eſt, cùm ſub Veſpaſiano obijſſe tradant teſtes à Viro docto laudati; ſi igitur Oneſimus Timotheo ſucceſſit ſub Veſpaſiano, creditu facilimum eſt, eum ſub Domitiani perſecutione paſſum fuiſſe. Pergit Vindiciarum Auctor ut probet Dallæum *ex ordine temporum* evincere fruſtra conatũ eſſe, Oneſimum C. aut XC. annorum futurum fuiſſe, ſi ad annum Domini CIX. aut CXI. perduraſſet, quam Martyris ætatem, aiebat Dallæus, æquè ac aliorum ſimilium obſervaturi erant Scriptores, ſi eâ verè paſſus eſſet. Dallæi argumentum hoc nitebatur fundamento, Oneſimum videlicet ævi maturum fuiſſe dùm Paulus ad Philomenem ſcripſit, id eſt anno Domini LVI. ut putant Eruditi. Pearſonius ut probet fruſtraneos eſſe Dallæi conatus, negat Epiſtolam ad Philemonem ſcriptam eſſe anno Domini LVI. quia Româ ſcripta eſt, dum in Vinculis erat Paulus, eſto, nec hoc nos diffitemur, *at*, inquit, *Romam ante A. D. vulgarem LXIV. vidiſſe S. Paulum nemo probabit.* Cur id affirmet Vir doctus divinare non poſſum; Annon liquet ex Actis Apoſtolorum cap.

XXIV. XXV. XXVI. XXVII. Felicem in Iudæâ Præfecturâ accepiſſe Portium Feſtum ſucceſſorem; Feſtum verò Paulum mox, paulò poſtquam venerat in Provinciam, miſiſſe captivum Romam ad Cæſarem; quem Paulus appelleverat, Felici autem ſucceſſor datus eſt Feſtus anno ſecundo Neronis juxta ſupputationem Euſebij in Chronico, qui quidem annus incidit in annum Domini LVII. ineuntem; Ergo initio illius anni Paulus Romam Vinctus miſſus eſt, ibíque biennium egit in propriâ æde conducta, & tunc Epiſtolam ad Philemonem ſcripſit, primo ut videtur illius biennij anno, adhuc enim Vinctus erat, cùm exacto biennio Vinculis ſit ſolutus; Romam ergo iidit Paulus ante A. D. vulgarem LXIV. quod negabat doctiſſimus Pearſonius. Verùm enimverò ut ad Oneſimum redeat Oratio, admodùm ſuſpecta videntur quæ de illius martyrio & Epiſcopatu Epheſino narrant ætatis mediæ Scriptores, ſine alicujus vetuſtioris autoritate: Author quidem conſtitutionum Apoſtolicarum illius meminit Epiſcopatus, non Epheſini ſed Beræenſis, quâ in re ab alijs diſſentit; ſed quam mereatur fidem planus ille, cujus ætas non minus incerta eſt, quàm Beræenſis Oneſimi Epiſcopatus,

norunt Eruditi: Certè ſi genuina Veterum Scriptorum conſulimus monumenta, nullam planè de Oneſimi martyrio & Epiſcopatu mentionem fieri in illis reperiemus, in ijs præſertim locis in quibus ea commemorari oportebat, ſi ab illis cognita fuiſſent. Chryſoſtomus, Hilarius Diaconus, Pelagius, Hieronymus, Theodoretus, Primaſius, Epiſtolam ad Philemonem in unius Oneſimi gratiam ſcriptam, commentati ſunt, eorum nullus tamen illius Martyrium aut Epiſcopatum memorat, etſi opportuniſſima eſſet memorandi occaſio; Chryſoſtomo imprimis qui eos reprehendens qui hanc Epiſtolam ſuperfluò adjectam dicebant, quandoquidem pro re adeò parva, pro Viro uno ſcilicet conſcripta eſt, innumeris illos criminibus dignos pronuntiat, multis de cauſis quas in medium profert, quibus Viri Martyrium & Dignitatem Epiſcopalem adjungere non piguiſſet, ſi ei comperta fuiſſent, ut Epiſtolæ utilitatem ac præſtantiam magis ac magis commendaret. Præterea habemus vetuſtiſſimum Martyrologium, quod licet falsò nomen Hieronymi præferat, paulò poſt obitum ejus evulgatum eſt, ut putant Eruditi; in illo autem Martyrologio nulla prorſus mentio Oneſimi, quamvis ho-

tata ſint multa Martyrum nomina ad eundem diem quo paſſum eſſe Oneſimum arbitrantur, nempe XIV. Kalend. Mart. Non immeritò igitur Dallæus turbari temporum ſeriem ab Ignatio Epiſtolico ſcripſit.

XXVII Dallæus cap. 17. p. 338. obſervat Epiſtolicum Ignatium Dominicæ carnis veritatem adverſus Hæreticos confirmantem, verba quædam, veluti Chriſti, ſic recitare Epiſt. ad Smyrn. *Et quando ad eos qui circa Petrum, venit, ait ipſis: Apprehendite, palpate me, & videte, quoniam non ſum dæmonium incorporeum.* Sibi autem perſuadere non poteſt clariſſimus Dallæus, verum Ignatium Chriſti verba, ex impuris apocryphorũ lacunis ficta, quàm vera ex certis ac divinitus inſpiratis libris apud Smyrnæos promere maluiſſe: Quid ad hæc Vindiciarum Auctor? Plures inſumit paginas (pag. 101. 102. 103. 104.) ut probet apocryphis uti licere, eáque aliquando laudare, quaſi hoc negaret Dallæus, quem latere non poterat apocrypha à vetuſtiſſimis Eccleſiæ Scriptoribus citari, immò ab ipſis Ieſu Chriſti Apoſtolis, ut à Iuda Prophetia Enoch; Sed aliud eſt apocrypha aliquando laudare, aliud verò apocryphorum verba diſertis Chriſti verbis ſufficere, quod facit Scriptor Epiſtolæ ad

Digitized by Google

ad Smyrnæos; ſi quam tangit hiſtoria in Evangelio noſtro non extaret, minoris culpæ reus eſſet, & forte nulli reprehenſioni obnoxius, ſive eam deſcripſerit ex Evangelio Hebraico, quo utebantur Nazareni, ut opinantur plures Viri Eruditi, ſive eam hauſerit ex traditione non ſcriptâ, ut poſt Caſaubonum arbitratur Pearſonius; Sed quoniam eadem extat Hiſtoria in Evangelio noſtro, gravius atque luculentius expoſita, credibile non eſt Apoſtolorum diſcipulum, veritatis fontes faſtidiendo, & ipſiſſima Chriſti verba quodammodo contemnendo, alia illorum loco uſurpare volviſſe, præſertim cùm quæ ad id locorum in libris noſtris habentur, non minus eſſent ad carnis Dominicæ veritatem confirmandam, appoſita, quàm illud ab Epiſtolico Ignatio allatum: Quis, quæſo ſanæ mentis homo præſtantiora non putet; & ad demonſtrandam carnis Dominicæ veritatem validiora, hęc Evangelica, *Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*, & ea quæ de Thoma ejuſdem argumenti ſcripta ſunt, quàm plebeia illa & auribus Chriſtianis inſueta, *non ſum dæmonium incorporeum.* Tamen Vir alius Eruditus qui nullam Dallæi perſtringendi elabi ſinit occaſionem, Dallæano argumento ſe ſatisfeciſſe putat notis ſuis

in Epiſt. ad Smyrn. pag. 460. hiſce verbis, *citationem Apocryphorum non cauſſabitur contra Ignatium, quicunque meminerit à Clemente idem committi in Epiſtolâ ad Corinthios teſte etiam Photio.* Vim argumenti Dallæi diſſimulat, citationem Apocryphorum contra Ignatium minimè cauſſatur Dallæus, Apocryphorum tantùm verba in locum Chriſti verborum ſubſtitionem damnat, utpote à reverentiâ divinis libris debitâ alienam. Ex ſtellæ deſcriptione quæ Magis præivit argumentatus eſt Dallæus pag. 365. extat illa deſcriptio in Epiſtolâ ad Epheſios; Vt illam tueatur deſcriptionem Pearſonius, plura adfert Veterum teſtimonia pag. 126. 127. qui de Stellâ Magis prælucente magnificè locuti ſunt; Verum quæ adducit Pearſonius ex Veteribus nequaquam paria ſunt cum Ignatianis, idem dico de Societatis Sorbonicæ Theologo accerrimo Dallæanorum Cenſore; Nullibi enim reperias illius ſtellæ deſcriptionem iſtius Ignatianæ parem. *Stella in Cælo fulſit, ſplendore ſuperans omnes ſtellas, & lux illius ineffabilis erat, & ſtuporem incuſſit ipſius novitas. Omnia autem reliqua aſtra, unà cum Sole & Lunâ chorus fuere ſtellæ illius, ipſa verò lumen ſuum extendebat ſuper omnia vel ſupra omnia, &c. unde ſoluta eſt omnis Magia.* Pro-

ferant Viri docti ex Veterum ſcriptis ſtellæ Magis præeuntis deſcriptiones Ignatianæ prorsùs ſimiles, & iſtud Dallæi argumentum, cæteris contenti, deſeremus, ſed donec id præſtiterint, non ægrè ferent ſi illud non adeò parvi facimus. Aliud argumentum adverſus Ignatiana deprompſit Dallæus cap. XXII. pag. 366. &c. ex eo quod Epiſtolæ ad Smyrnæos Scriptor quoſdam ſui ævi Hæreticos Euchariſtiâ abſtinuiſſe affirmat, quòd cùm à Veteribus qui hæreſeon contexuêre catalogos, non ſit traditum, ab alio quàm ab Ignatio ſcriptam eſſe hanc Epiſtolam exiſtimat Dallæus. Doctor Sorbonicus in eandem Epiſtolam pag. 460. Dallæum arguit quaſi perperam acceperit vocem προσευχῆς pro omni prorſus oratione, cùm Ignatius aut loquatur de prece myſticâ, aut potiùs intelligat preces Liturgicas. Verùm quando mentem ſuam non explicat Epiſtolæ Scriptor, iniqua eſt Dalleanæ obſervationis cenſura; Etſi concedere non verear intelligi poſſe precem myſticam, id eſt Orationem Dominicam, quâ ſolâ fertur olim conſecrâſſe Apoſtolos. Secundò Dallæi reſponſionem temerariam vocat. *Quotus quiſque eſt*, inquit, *qui nihil novi & alibi indicti dicat*; Dum de rebus facti agitur, juniores à ſenioribus accipere de-

bent, & poſteriores à prioribus, nihílque novi & alibi indicti dicere, quod ſecus fit, dum eſt queſtio juris; tunc enim fieri poteſt ut quiſque aliquid novi & alibi indicti dicat. Hæc igitur Viri Eruditi obſervatio nihili planè eſt: Sed ne gratis & temerè Dallæi reſponſionem temerariam appellaſſe videatur, ita pergit. *Debuit conſulere Vir non indoctus Epiphanium, Tertullianum, Hieronymi Indiculum, Auguſtinum, Theodoritum, &c. Didiſciſſet rejectam fuiſſe à Phantaſticis Hæreticis vetuſtiſſimis, Gnoſticis & Ophitis, veram Euchariſtiam, ſubſtitutâ in illius locum falsâ, infandâ nimirum turpitudine, conſuetudine impiâ &* βλασφήμῳ. Conſuluerat dubio procul hos Scriptores Dallæus, & quoniam nullos deprehenderat in eorum Scriptis Hæreticos qui Ignatij ætate Euchariſtia abſtinuerint, ſuppoſititiam credidit Epiſtolam ad Smyrnæos, in quâ Hæreticorum quorundam Euchariſtiâ abſtinentium fit mentio; Nec quicquam cauſæ eſt cur Gnoſticos & Ophitas opponit Vir doctus, quaſi Euchariſtiâ abſtinuerint; ſuam enim habuerunt Euchariſtiam, execrandam illam quidem, ſed tamen Euchariſtiam infandis illorum myſterijs digniſſimam; Iam autem non quæritur propriè qualis fuerit eorum Euchariſtia, ſed utrum

illa penitùs caruerint, de re agitur, non de rei modo ſeu qualitate: Præterea Gnoſtici illi & Ophitæ quos profert poſteriores fuerunt Ignatio, ideóque Viri Eruditi cauſam minimè juvant; Quæ habet de Priſcillianiſtis, Meſſalianis, Manichæis, Archonticis, nihil ad rem faciunt. Meliora ſunt quæ ſequuntur, non omnes videlicet Docetas Euchariſtiam repudiaſſe, quod eſt veriſſimum. Sed inquit Vir doctus, Dallæus innuit Simonianos non eſſe Chriſtiani nominis Hæreticos, hæc ambiguè dicuntur, nam ſi intelligit Dallæum innuere Simonem Hæreſim ſuam ante Chriſti adventum diſſeminaſse, neque ad illas pertinere hæreſes quæ poſt illius in cœlum aſcenſionem exortæ ſunt, fallitur; At ſi hoc tantùm vult; Dallæum ſignificare *Simonianos* Chriſtum nequaquam pro Auctore ſuo profeſsos eſse, verum dicit; id enim diſertis verbis tradit, illius igitur erat hanc Dallæi obſervationem, ſi ſibi non arridebat, refellere, & tunc noſtrum fuiſset illam refutationem expendere: Vltra progreditur Vir Clariſſimus, & Dallæum iterùm arguit, quod Simonem & Simonianos brevi ipſis Claudij, quibus exorti erant temporibus, defeciſse ſcribit. Verùm Dallæus de ſuo id non ſcribit, Euſebium habet teſtem, cu-

jus ipſiſſima profert verba pag. 367.

Doctiſſimus Vindiciarum Autor huic Dallæi argumẽto occurrens cap. XI. p.131. 132. 133. fatetur neminem præter Ignatium de iſtius temporis Hæreticis diſertè affirmaſse, quod Euchariſtiâ abſtinuerint; Hæc ingenua Viri docti confeſſio, illius cauſæ non parùm nocet; Veriſimile enim non eſt Hæreticorum iſtorum notitiam fugiſse Irenæum, Tertullianum, & cæteros qui ampliſſimos & accuratiſſimos Hæreticorum contexuêre Catalogos; Siccine officij ſui tam negligentes fuêre Veteres illi Scriptores ut rem adeò memorabilem, & quam ſcire intererat, ſilentio prætererint, cùm tot alias res multò minoris momenti litteris tradere non ſint dedignati? Profectò vix eſt credibile; Verùm enimverò ne ſolo Epiſtolici Ignatij teſtimonio nitatur de iſtis Hæreticis traditio; ſcribit Vir doctus Polycarpum eoſdem Hæreticos ferire, fundamentum hujus abſtinentiæ indicare, & reliqua cum Ignatio perſtringere. Tamen Polycarpi verba quæ adfert ſi inſpicias, reperies nullam prorsùs Hæreticorum fieri mentionem, nihilque planè dici de Euchariſtiâ, nec de illius abſtinentiâ. Quæ ſequuntur apud Virum Eruditiſſimum non ſunt melioris commatis: Nam

etſi concedamus ex Menandri Scholâ prodijſſe qui aſſerebant, *non eſſe credendum in eum qui crucifixus eſt*, non propterea ſequitur eos Euchariſtiam reprobaſſe eáque abſtinuiſſe, nec jam quæritur, num Euchariſtiâ abſtinere debuerint, quandoquidem Chriſtum mortuum non putabant; ſed utrum reapſe abſtinuerint, quod Veterum nemo tradidit præter Epiſtolicum Ignatium. Nonne multos quotidie cernimus res tametſi inter ſe pugnantes, unà tamen tueri ac defendere? Nonne ipſe Marcion Chriſtum verè mortuum eſſe negabat, Euchariſtiam tamen non repudiabat? Nec Virum doctum juvat dicere Marcionem *Sacramenta propria* habuiſſe: Ignatium autem de Eccleſiæ Sacramento ſine dubio intelligendum eſſe, à quo & Marcion abſtinuit. Quoniam ad rem quam tractamus confirmandam abundè ſufficit Marcionem Euchariſtiam celebrâſſe; utrum autem eadem fuerit cum Catholicorum Euchariſtiâ, aut diverſa non refert? Author ſiquidem Epiſtolæ ad Smyrnæos à quâ abſtinuerint Hæretici quorum meminit Euchariſtiâ, non dicit, eos Sacramento illo abſtinuiſſe nudè ac ſimpliciter tradit. Cæterùm oſtendebamus mox Dallæum ab Euſebio accepiſſe quæ de Simonianis habet, nec

hoc diffiteri poſſunt Viri docti; quamvis Euſebij verba de primis tantùm Simonis diſcipulis ac cultoribus intelligenda putem, non autem de omnibus qui ex ejus Scholâ prodierunt, & qui diu poſt ejus mortem perdurârunt. De Interpolatoris autem verbis & conſilio non eſt quod anxiè ſolliciti ſimus; conjecturis hac in re agit Dallæus, conjecturis etiam agunt illius adverſarij: Ex conjecturis autem quibus plus æquo forſan indulgent, nihil certi elici poteſt.

XXVIII. Cap. XXIV. Dallæus ſcribit plura occurrere in Ignatianis Epiſtolis, non ſatis ut videtur cum Martyris modeſtiâ, quam ſummam fuiſſe perhibent, conſentanea; Exemplum profert ex Epiſtolâ ad Trallianos in quâ ſupercœleſtium ſcientiam ſibi vindicat; *Multa*, inquit, *ſapio in Deo: ſed meipſum menſuro, ut non in gloriatione perdar.* Tum paulò poſt; *Nonne poſſum vobis ſupercœleſtia ſcribere? Sed timeo ne parvulis exiſtentibus vobis damnum apponam. Et condonate mihi: ne fortè non potentes capere, ſtrangulemini. Etenim ego, non ſecundum quodcunque ligatus ſum, ſed potens ſcire cœleſtia, & loci poſitiones Angelorum, & conſtitutiones, principiationes, viſibiliáque & inviſibilia: præter hoc jam & diſcipulus ſum.* Doctiſſimus Pearſonius huic objectioni plura reponit

Pearſ. pag. 139. 140. 141.

reponit ut Ignatij ſui modeſtiam ſartam tectam tueatur; Quædam etiam regerit Societatis Sorbonicæ Theologus ſuprà nominatus, qui aſserere non veretur pag. 452. non potuiſſe majori cum demiſſione loqui Martyrem de cognitione Cæleſtium ſibi divinitus conceſſâ, quàm negando ſe eſſe diſcipulum, ac profitendo multa ſibi deeſſe. Verùm vix cordatis perſuaſuri ſunt Viri Eruditi, à modeſtiâ non diſceſſiſſe Epiſtolicum Ignatium; certè non modeſti hominis eſt, ſed vani & glorioſi, ſi quid habet excellens & eximium, id efferre apud alios, atque oſtentare: Epiſtolæ autem ad Trallianos Scriptor ita de ſe loquitur, ut ea dicat quæ difficille ſit cum modeſtiæ præſertim Chriſtianæ, ingenio ac moribus conciliare. Et ut liquidò conſtet rem ita ſe habere ut dicimus, comparandi ſunt inter ſe D. Paulus & Ignatius Epiſtolicus: Apoſtolus quidem adverſariorum & æmulorum ſuorum iniquitate coactus, quò Apoſtolatus ſui gloriam defenderet, ſuámque apud Corinthios exiſtimationem tueretur, de ſuis revelationibus aliquid, ſed obſcurè ac veluti non de ſe, ſed de alio quodam loquens, innuit potiùs, quàm ſignificat: Ignatius verò nulla juſta & neceſſaria cauſâ compulſus de cæle-

ſtium cognitione gloriatur, & ad ſuæ illius ſingularis, planéque angelicæ de Angelis & inviſibilibus, ſcientiæ arcana & myſteria ante Trallianorum oculos jactanda intempeſtivè feſtinat. Prætereà B.
2.*Cor.*12. Paulus non ſemel hujus ſuæ ut appellat
1. 2. & *inſipientiæ*, veniam poſcit ac deprecatur:
11. 1. 16. Epiſtolico Ignatio alia planè mens, quia ſcilicet alio agebatur ſpiritu; Quod de vero Ignatio ne ſuſpicari quidem debemus, cùm enim Apoſtolorum auditor fuerit ac diſcipulus, maximam eorum modeſtiam illum ſemper imitatum eſſe; nec ab illius legibus tantillum deflectere voluiſſe ſanctiſſimum Martyrem, par eſt credere, contra quam fecit Author Epiſtolæ ad Trallianos. Ex ijs autem quæ ſcripſit Polycarpo idem Epiſtolicus Ignatius, & adfert Dallæus ubi ſupra, non æquè facilè forſan colligi poteſt modeſtiæ ac verecundiæ leges eum violaſſe, etſi eas quodammodo prætergreſſum eſſe videatur, quicquid dicat Eruditiſſimus Pearſonius, primò in eo quod Martyris nomen aſſumit, præter uſum ac conſuetudinem quæ in Eccleſiâ ſuâ ætate obtinebat, ut liquet ex Lugdunenſium noſtrorum exemplo à Dallæo allato, & à Vindiciarum Auctore in reſponſione prætermiſſo, non ſecus ac Martyris nomenclaturâ quam etiam in-

tactam reliquit pag.142. nec mirum, cùm Martyrem nunquam ſe appellaſſe Ignatium affirmet pag. 146. ita tamen ſe appellat in Epiſtolæ ad Polycarpum inſcriptione Græcâ quæ interpolata non eſt. Secundò quia Polycarpo ſuo condiſcipulo, & admirabili Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopo, *tanquam Tyroni Magiſter* ſcribit. Et fruſtrà eſt Vir doctus dùm dicit, *monet eum ut juniorem ſenior, ut charum amicus, ut liberum vinctus, ut Epiſcopum Confeſſor*, &c. Nam præterquam quòd incertum eſt num Polycarpo longè ſenior fuerit Ignatius, veriſimile inſuper eſt verum Ignatium cum eo honorificentius acturum eſſe, nempe ut fratrem cum fratre, & Epiſcopum cum Epiſcopo, ſed tanti nominis Epiſcopo cui Eccleſiam ſuam Antiochenam Paſtore viduatam commendatam voluit.

A rebus ipſis, quæ Epiſtolas Ignatio Martyri aliena manu ſubditas fuiſſe arguunt; tranſit Dallæus ad orationem & verba ex quibus contexta eſt oratio; & poſtquâm obſervavit orationem ipſam multiplicem, neque unius generis aut coloris, oſtendere Epiſtolas non eſſe unius ejuſdémque Auctoris, ſexque primas, quas Vſſerius ex Veteribus Anglicanis libris protulit, triſtes eſſe, ſalebroſas, rudes

& incultas, ſcribit cap. XXV. pag. 378. primum illud in his occurrere, quod in omnibus duodecim Epiſtolis Ignatij nomini adjectum legitur *Theophori* cognomentum, illiúſque cognomenti fabuloſam aperit originem pag. 379. Vindiciarum Auctor totum ferè caput duodecimum inſumit in explicatione vocis *Theophori*, pluráque dicit quæ reconditam ſapiunt eruditionem, lectionémque multijugam; Vir alius Eruditus cujus aliquoties mentionem fecimus, aliquid etiam de uſu ac ſignificatione hujus vocis adnotat in Epiſt. ad Epheſ. pag. 447. ſed quæ dicunt Viri docti Dallæum non feriunt, neque Dallæani argumenti vim elevant; Quare gratis ſe fatigavit Eruditiſſimus Pearſonius in coacervandis Veterum teſtimonijs, quibus probaret vocem hanc Θεοφόρος antiquis Eccleſiæ Scriptoribus eſſe maximè familiarem: Quaſi vocis iſtius uſum ſimpliciter negaret Dallæus: Hoc ſolùm affirmat Dallæus neminem præter Epiſtolicum Ignatium ſe *Theophorum* identidem indigetaſſe, neque hoc Epitheton tanquam cognomen ſibi arrogâſſe; Vnde illi oritur nova adverſus Epiſtolas Ignatianas ſuppoſitionis nota. Multis Veterum teſtimonijs iſtiùs vocis uſum ac familiaritatem demonſtravit Pearſonius;

Digitized by Google

nullum tamen exemplum adferre potuit Sancti alicujus qui inſtar Ignatij *Theophori* cognomen ſibi tribuerit. Nec quicquam cauſæ eſt cur fictitiæ quidem & fabuloſæ iſtiùs nominis notioni, prout à Græcis poſterioribus traditur. Acta Ignatiana ab Vſſerio edita opponat; cùm enim à nemine Veterum, ac ne recentiorum quidem, laudata ſint nec memorata, nullam prorſùs fidem merentur; fruſtrà igitur Vir doctus ex illis probare nititur Ignatium Theophorum appellatum à noſtris ideò fuiſſe, quod Deum fide & ſanctimoniâ in corde habitantem portaſſet; Nam certò certiùs eſt Ignatium, quandiu vixit *Theophori* cognomentum non habuiſſe, & quo tempore id cognomen diu poſt mortem habere cœpit, non ob aliam rationem Theophorus appellatus eſt, quam quod hunc Domini Chriſti manibus puerum olim ſuſceptum fuiſſe crederent, prout à præſtantiſſimo Dallæo eſt demonſtratum.

XXIX. Quod ſequitur argumentum apud Dallæum, multò majoris eſt momenti, ideóque palmarium vocat illúdque toto capite XXVI. latè perſequitur: Vim autem argumenti ita proponit pag. 386. Epiſtolarum Scriptor *Presbyteri & Epiſcopi* nomina, non ſemel aut iterùm, ſed perpetuò, & in omnibus ubique Epiſtolis, ali-

ter uſurpat, quàm Apoſtoli & Apoſtolici Viri, eorúmque etiam diſcipuli. Hic enim duo illa nomina planè eodem ſenſu accipit, quo à tertij ſæculi, & ſequentium Chriſtianis ad hæc uſque tempora accepta fuiſſe & ſcimus, & libenter concedimus: ſic nimirum, ut duas dignitates à ſe invincem diſtinctas ſignificent: *Epiſcopus*que is intelligatur, qui Presbyter quidem ipſe quoque eſt; ſed & Presbyterio præeſt, & in eorum Collegio caput eſt; *Presbyter* verò is ſit qui Epiſcopo ſubeſt. Vnde neceſſariò exſurgunt tres in Eccleſiâ miniſtrorum ordines; *Epiſcopus*, primus & ſummus: *Presbyter*, ſecundus & medius; *Diaconus* denique tertius & infimus: Argumentum duabus conſtat propoſitionibus, quarum prior uſum ac conſuetudinem ſpectat Epiſtolici Ignatij in *Epiſcopi* & *Presbyteri* nominibus uſurpandis; poſterior uſum ac conſuetudinem Apoſtolorum, & Apoſtolicorum Virorum, eorúmque etiam diſcipulorum planè diverſam; Vtrámque propoſitionem fusè probat Dallæus, illam pag. 386. 387. 388. Hanc verò in ſequentibus. Videamus jam quibus exceptionibus hoc Dallæi argumẽtum refellere nituntur Viri Eruditi: Inchoabo à Societatis Sorbonicæ Theologo, qui in Epiſtolam ad Magneſianos

pag. 448. argumentum iſtud quod Dallæo palmarium eſt, adeò contemnit ac deſpicit, ut ne quidem argumentum, illius judicio, dici mereatur, adeò infirmum eſt ac invalidum. Ita contemptim de hoc argumento loquitur Vir iſte Eruditus, ut vel ſolo habitu illud difflatum iri non dubites: Nulla laus igitur erit, nullum operæ prætium, argumentum confutare, quod ne quidem argumentum dici mereretur, adeò infirmum eſt ac invalidum. Illud tamen refellere non aggreditur, niſi rem falſiſſimam tanquam veriſſimam ſupponendo, Apoſtolico videlicet ſæculo duos extitiſſe Sacerdotij gradus, ſuperiorem & inferiorem, re diverſos, quanquam nomine communi. Conſtat enim ex Scripturis ſacris duos tantùm extitiſſe Apoſtolorum ætate ſacrorum miniſtrorum ordines & gradus, alterum Epiſcoporum qui ijdem erant cum Presbyteris, Diaconorum alterum. Evolvat Scripturas Sacras Vir doctus, eáſque diurnâ nocturnâque verſet manu, nullum alium reperturus eſt præter duos iſtos miniſtrorum ſacrorum ordines, duorum autem Sacerdotij graduum, re diverſorum, quanquam nomine communi, nullum prorsùs in libris divinitùs inſpiratis deprehenſurus eſt veſtigium: Nullum certè depre-

henderunt ex Veterum Scriptorum numero plures, ne ipſe quidem Vrbanus II. Papa ex Cathedrâ loquens, cujus Decretum infra allaturi ſumus, ex quo liquebit Pontificem illum, cujus autoritati ſe ſubjicere debet quivis Doctor Sorbonicus, credidiſſe duos tantùm extitiſſe in primitivâ Eccleſiâ ſacros ordines, Diaconorum ſcilicet & Presbyterorum; Epiſcoporum non meminit, quia ijdem erant Presbyteri qui Epiſcopi: Subruto igitur peſſimo Viri Eruditi fundamento, corruat neceſſe eſt tota ædificij moles. Ergo non tale eſt Dallæi argumentum, quale dicebat Societatis Sorbonicæ haud contemnendus Theologus, cùm illi refellendo ſit impar, eíque hæreat aqua dùm illud refutare conatur.

Vindiciarum Auctor de Dallæi argumento non multò modeſtiùs loquitur, leviſſimum enim illi videtur, & præterea hoc laborare incommodo putat, quod omnis vis ejus à Dallæo in ſuarum partium ruinis poſita eſt; Et ne gratis & ſine causâ hæc à Viro docto dici arbitreris, hanc primò iſtiùs effati adfert rationem pag. 155. *Dum Autorem Epiſtolarum* (inquit) *ſecundo ſæculo non ſcripſiſſe vult Dallæus, quòd eo toto aliter Chriſtiani omnes loquuti ſint, Salmaſi, & Albertini ſententiam*

convellit, qui eum medio ſecundi ſæculi tempore Epiſtolas edidiſſe docuerunt. Salmaſij & Albertini ſententia hæc fuit, Epiſtolas de quibus lis eſt Ignatio à plano quodam ſubditas eſſe, idem planè ſentit Dallæus; Ergo Salmaſij & Albertini opinionem non convellit, cùm ſumma ſit inter eos hac de re concordia; Salmaſius quidem & Albertinus eas citiùs editas eſſe putarunt, Dallæus verò ſeriùs: ſed hæc temporis differentia, ipſum rei fundum, ut ita dicam, non ſpectat, cujus reſpectu Dallæo cum alijs optimè convenit; Adde quod Salmaſius & Albertinus aliter quàm dicit Dallæus ſecundi ſæculi Chriſtianos loquutos eſſe non aſſerunt, etſi maturiorem opinati ſint Epiſtolarum Ignatianarum editionem; Et fortè ſi ſuperſtites eſſent, re meliùs perpenſâ in Dallæi ſententiam concederent. Secundò obſervat Vir doctus largiri Dallæum Hammondo tres ordines ſeu gradus in Eccleſiâ extitiſſe, ſub Apoſtolorum tempore, qui nomina *Epiſcopi* & *Presbyteri* promiſcuè uſurpaſſe dicuntur. Dum Dallæi locum à Vindiciarum Auctore deſignatum conſulo, rem aliter ſe habere reperio; Dallæus enim hoc non largitur Hammondo, velut illi perſuaſum fuiſſet tres in Eccleſiâ extitiſſe ordines ſeu gradus ſub tempore

Pp

Apoſtolorum, immò diſertis verbis ſignificat ſe de re ipsâ nunc non diſputare, intereà dilatâ in alium locum & in aliud tempus de numero Eccleſiaſticorum ordinum diſputatione, per conceſſionem agit cum Hammondo, ut ſcilicet ex nominum quibus Ordines ſacri nuncupantur confaſione adverſus Ignatiana argumentari poſſit: Sed ipſum Dallæum audire ſatiùs erit. *Nunc* (inquit pag. 386.) *de re ipſa non diſputo. Donemus doctiſſimo Hammondo, quod ille tam vehementer cupit, hos tres ordines iam ipſis Apoſtolorum temporibus, ita ut diximus, in Eccleſiâ ſtetiſſe. Ordinum certè nomina, de quibus nunc ſolis diſputo, nondum iſtis Apoſtolorum & Apoſtolicorum temporibus ita à ſe invicem diſtincta fuiſſe videntur, ut non aliquando, immò ſæpiſſimè nomen Presbyteri, quod ſecundi ordinis miniſtros nunc ſignificat, de ijs diceretur, quos nunc volunt eſſe primi; & viciſſim Epiſcopi, quod eſt primi ordinis nomen, de ſecundi ordinis miniſtris acciperetur, &c.* Iam quivis videt Dallæi verba à Viro docto malè accepta fuiſse, & in ſenſum Auctoris menti planè contrarium detorta.

XXX. His præmiſſis Vindiciarum Auctor ad objectionem Dallæanam confutandam propiùs accedit, illíque confutandæ totum caput decimum-tertium, Dallæano

nec minùs prolixum, nec minùs laborioſum impendit, nequaquam opinor facturus, ſi omnium leviſſima eſſet, quod tamen lectori perſuaſum eſſe cupit; Et quoniam quatuor Aſſertionibus id latè perſequitur, eas ſigillatim expendere decrevimus, ne aliquid à nobis ſine reſponſione prætermiſſum queratur. Prima Aſſertio hæc eſt pag. 156. Quamplurimi Secundi Sæculi Scriptores idem diſcrimen inter vocabula *Epiſcopatus* & *Presbyterij* obſervarunt, quod obſervat Ignatius; Ergò falſum eſt quod aſſerit Dallæus & tanquam Argumenti fundamentum ponit; Omnes Secundi Sæculi Scriptores promiſcuè eas voces uſurpaſſe. Vt id probet, falſóque niti fundamento Dallæi obiectionem demonſtret, varia adducit Veterum teſtimonia pag. 157. & ſequent. in quibus *Epiſcopi* & *Presbyteri* nomina ita à ſe invicem diſtincta eſſe contendit, ut *Epiſcopi* nomen ſolis primi ordinis Sacerdotibus tribuatur; Presbyteri verò ijs qui ſunt ordine in ſecundo, & quos hodie vocant minores Sacerdotes. Sed plura Viro Eruditiſſimo regeri poſſunt, 1. è numero teſtium expungendi ſunt Author Actorum Paſſionis S. Ignatij, qui nullam aut certè perexiguam fidem meretur, & Hadrianus Imperator cujus Epiſtolam ad

Servianum Conſulem jam ſuprà excuſſimus. 2. ex pleríſque teſtimonijs à Viro docto allatis, hoc ſolum colligitur Epiſcopi nomen videlicet Eccleſiarum Rectoribus à vetuſtiſſimis Scriptoribus ſæpè tribui ſolitum eſſe, quod non diffitetur Dallæus. 3. Si integra extarent opera, quorum fragmenta quædam tantùm refert Euſebius, ex quibus ſua deſcripſit teſtimonia Vindiciarum Auctor, pateret ſine dubio Scriptores illos quos laudat, diſcrimen inter vocabula *Epiſcopatus* & *Presbyterij* non ſemper obſervaſse, ſed multoties ea promiſcuè uſurpaſse. 4. malâ fide Dallæi ſententiam repræſentat, quaſi negaret diſcrimen illud inter *Epiſcopi* & Presbyteri nomina à Veteribus uſquam obſervatum eſſe; Tamen alia mens fuit Dallæo, qui dumtaxat aſſerit Ignatium ingens ſemper diſcrimen ſtatuere inter hæc duo nomina, præter uſum & conſuetudinem ſecundi ſæculi Scriptorum, qui iſtis vocabulis indiſcrimatim utuntur. 5. Denique pluribus teſtimonijs ex ſcriptis Apoſtolorum & Apoſtolicorum Virorum depromptis, promiſcuum iſtorum nominum uſum confirmavit Clariſſimus Dallæus, quibus quid reſponſurus ſit doctiſſimus ejus adverſarius, videbimus infra ubi ea examinare libebit.

Digitized by Google

Porrò quæſtio Chronologica quam adverſus Blondellum noſtrum exagitat Vir doctus non adeò magni eſt momenti, ut in utriúſque partis rationibus examinandis diutiùs immorari ſit neceſſe: Nam ſive citiùs ſive ſeriùs Photino ſucceſſerit Irenæus in regiminæ Eccleſiæ Lugdunenſis, parùm aut nihil refert, cùm aliunde ſuppetant teſtimonia apud Secundi Sæculi Scriptores, in quibus cernere eſt Epiſcopos Presbyterorum nomine inſignitos: Ergo abſque ullo Cauſæ Dallæanæ detrimento, teſtimonio à Blondello in eum finem adducto carcere poſſumus; præſertim cùm ipſe Irenæus de quo hoc in loco agitur, plura ſubminiſtret teſtimonia quæ Dallæi hypotheſi non parùm patrocinantur. Vt igitur paucis rem expediam, obſervo Blondelli ſententiam Euſebiani Chronici autoritate niti: Euſebius ſiquidem & in Excerptis Græcis Scaligeri, & in verſione Latinâ Hieronymi quartam Perſecutionem confert in annum Marci Aurelij ſeptimum, Domini verò CLXVII. Eandem Epocham ſequuti ſunt recentiorum pleríque ſive Chronographi ſive Hiſtoricij. Fateor non ſibi conſtare Euſebium; nam in Hiſtoriâ poſt Chronicum Canonem ſcriptâ, Perſecutionem Gallicanam ad decimum ſeptimum ejuſdem *Euſeb. lib. 5. initio.*

Marci Antonini annum refert; Sed inde non ſequitur, ſi Blondellum audimus (in Apologiâ de ſententiâ Hieronymi cap. 8. pag. 23.) præferenda eſſe quæ ſcribit Euſebius in Hiſtoriâ ijs quæ in Chronico tradidit, & de quorum veritate dubitare nefas putat Blondellus, ut pote certis circumſtantiarum characteribus diverſimodè munitâ. Vt ut eſt cum utrique ſuppetant rationum momenta, Blondello ſcilicet & eximio Ignatianorum Vindici, utrumvis ſequi liberum erit. Vnum moneo, graviſſimè errare doctiſſimum Vindiciarum Auctorem, dum ſcribit pag. 160. Marcum Aurelium Melitonis Sardienſis Apologiâ pro Chriſtianis permotum, de ſedandâ perſecutione ad Commune Aſiæ ſcripſiſſe, quod XV. Imperij ſui anno factum arbitratur. Melito enim Apologiam ſuam Marco obtulit ſub finem Imperij ejus, ut fatetur Vir doctus, nempe poſtquam Commodum filium conſortem Imperij fecerat, ut nos docet Euſebius Hiſt. lib. 4. cap. 26. & ut meritò exiſtimat Vir doctiſſimus Henricus Valeſius in Proœm. lib. 5. pag. 85. Quamvis paulò aliter ſentire videatur in lib. 4. cap. 26. pag. 82. At Epiſtola Marci Imperatoris ad Commune Aſiæ ſcripta fuit primo Imperij ejus anno: immeritò igitur Vir doctus Valeſium no-

tat pag. 161. quod Marci Epiſtolam ad hunc annum refert Annot. in lib. 4. cap. 13. Euſeb. pag. 66. & in cap. 26. pag. 83. Valeſius enim non argumentatur ex tertio tantùm Marci conſulatu, ſed imprimis ex anno XV. Tribunitiæ poteſtatis in eadem Epiſtolâ prænotato, *licet eo anno tertiùm Conſul eſſet* (inquit Vir doctus) *is tamen XV. Tribunitiæ poteſtatis eſſe non potuit*. Quare eſſe non potuit? Quia (inquit) *tertiùm Conſul dicebatur non tantùm eo anno quo Conſulatum geſſit, ſed omnibus ſequentibus, niſi alium Conſulatum iniret. Marcus autem poſtea Conſul non fuit, ideóque per omnes Imperij annos tertiùm Conſul dictus eſt.* Quæ de tertio Marci Conſulatu tradit Vindiciarum Auctor vera ſunt; At inde perperam colligit, primum Marci Imperij annum, in XV. Tribunitiæ poteſtatis minimè incidere poſſe; Marcus Aurelius XIX. annos Imperavit, primus Imperij annus coincidit cum XV. Tribunitiæ poteſtatis; ultimus verò cum ejuſdem poteſtatis XXXIV. ut liquet ex Onuphrij Faſtis ad annum urbis 914. & ex illius Commentario in lib. 2. Faſt. pag 229. cum 236. ubi ex varijs nummorum inſcriptionibus eundem eruit annorum numerum, eodem ordine ac ſerie diſpoſitorum ſed de primâ Aſſertione plus ſatis.

XXXI. Ad Secundam igitur venio, quæ ſic ſe ſe habet pag. 165. *Aſſerimus nullum Secundi Sæculi Scriptorem adeò promiſcuè vocabulis Epiſcopi & Presbyteri uſum eſſe, ut ſimplici Presbytero in ſecundo miniſterij gradu conſtituto unquam Epiſcopi nomen tribueret.* Vt iſtius Aſſertionis vanitas appareat, & quàm captiosè hæc dicantur quivis deprehendere poſſit, age Dallæi objectionem recolamus: argumentatur Dallæus adverſus Ignatiana, ex eo quod Epiſtolarum Scriptor præter Apoſtolorum, & Eccleſiaſticorum ad A. D. CC. Scriptorum conſuetudinem *Epiſcopum* & *Presbyterum*, illum de primi, hunc de ſecundi gradus Sacerdote ſemper ac conſtanter, nunquam aliter dicat. Non diffitetur doctiſſimus Vindiciarum Auctor, quæ de Ignatio dicuntur Epiſtolico, hoc ſolùm igitur negare debet, ita loquutum eſſe Ignatium præter Apoſtolorum, & Eccleſiaſticorum ſecundi ſæculi Scriptorum conſuetudinem; Et quia de re facti agitur, illius erat negationis ſuæ rationes reddere, eámque varijs Veterum teſtimonijs confirmare; & præpereà quæ à Dallæo contrà allata ſunt refellere; reſpondentis vices agit Vir doctus, ideóque adverſarij objectioni inhærere debet, eámque rectà confutare, immotó ſtante quæſtionis

nis

Digitized by Google

nis ſtatu, quem tamen ſollicitare & mutare non veretur. Non enim quæritur num verum an falſum ſit nullum ſecundi ſæculi Scriptorem ſimplici Presbytero in ſecundo miniſterij gradu conſtituto unquam Epiſcopi nomen tribuiſſe: Hoc tantùm quæritur utrum ſecundi ſæculi Scriptores *Epiſcopi* & *Presbyteri* vocabula promiſcuè uſurpaverint; affirmativam tuetur Dallæus. Ergo vel neganda eſt vel concedenda Propoſitio illa affirmativa; Negari non poteſt, utpote pluribus Veterum Scriptorum teſtimonijs firmata & ſtabilita, ſi concedatur, prout eam concedi neceſſe eſt, in magno verſatur periculo Epiſtolarum Scriptor, qui præter ſecundi ſæculi Scriptorum conſuetudinem *Epiſcopum* de primi, *Presbyterum* de ſecundi gradus Sacerdote ſemper ac conſtanter, nunquam aliter dicit. Eſtne credibile Apoſtolorum diſcipulum eorum exemplum adeò parvi feciſſe, & Eccleſiaſticorum ſecundi ſæcnli Scriptorum uſum ac conſuetudinem tam elatè ac ſuperciliosè contempſiſſe, ut vocabulis *Epiſcopi* & *Presbyteri* promiſcuè uti noluerit. Quas autem comminiſcitur rationes Vir doctus, ob quas ab Apoſtolorum, & Apoſtolicorum Virorum conſuetudine Ignatium ſuum diſceſſiſſe putat, adeò leves

ſunt ac frivolæ, ut eas à tanto Viro litteris traditas eſſe ſatis mirari non poſſim. Et quod admirationem auget, tanquam verum ſupponit quod in quæſtione eſt, tres nimirum fuiſſe temporibus Ignatij ſacros ordines; Quamvis id à Dallæo nequaquam conceſſum optimè noſſet.

Ejuſdem prosùs farinæ eſt tertia doctiſſimi Viri Aſſertio, quæ iſtis continetur verbis. *Nullum omninò ſecundi ſæculi Scriptorem, cùm gradus enumerat, aut cùm de ſingularibus ſui temporis miniſtris loquitur, nomen Presbyteri ei qui Epiſcopus eſſet tribuiſſe.* Dallæi argumentum tale eſt; Eccleſiaſtici ſecundi ſæculi Scriptores *Epiſcopi* & *Presbyteri* vocabulis indifferenter uſi ſunt, Ignatius Epiſtolicus ea nunquam promiſcuè uſurpavit, unde colligit ſuppoſititias eſſe quæ Ignatij nomine circumferuntur Epiſtolas; Minor in confeſſo eſt; Major eſt indefinita & illimitata; Vir tamen doctus qui eam concedere vel negare debebat, neutrum facit, indefinitam definit, & limitat illimitatam; Nullus ſecundi ſæculi Scriptor, cùm gradus enumerat, aut cùm de ſingularibus ſui temporis miniſtris loquitur, nomen Presbyteri ei qui Epiſcopus eſſet tribuit; At hæc ſolutio Dallæi argumentum propriè non reſpicit: Dallæus enim non diſertè

Digitized by Google

negat quoſdam ſecundi ſæculi Scriptores, poſt natam graduum diſtinctionem, & poſtquam ex uno duo facti ſunt (quod ſecundo ſæculo inclinato & ad finem vergente contigiſſe eſt veriſimile) non negat inquam aliquod quandoque diſcrimen obſervaſſe inter Epiſcopatus & Presbyteratus vocabula, quod imprimis factum crediderim, dum enumerabantur gradus, quoniam tunc aliis alios opponere erat neceſſe, ut ab invicem ſecernerentur; At hoc non impedit quominus Presbyteros nuncupent quos Epiſcopos conſtanter nominat Epiſtolicus Ignatius, vocibúſque *Epiſcopatus* & *Presbyteratus* frequentiſſimè utantur; Quod Dallæo abundè ſufficit ut verò abjudicet Ignatio quæ illius nomen præferunt Epiſtolas, in quibus cernitur ſtilus ab Apoſtolorum ſermone planè diverſus, & dicendi character à ſecundi ſæculi Scriptorum charactere omninò alienus; Ignatius caſtè & religiosè hoc nominum diſcrimen ſervat, neque unum cum altero uſpiam confundit, quia, ſi Virum doctum audimus, confluebant ad eum in itinere ab Eccleſiis Aſiæ, & Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi complures ordine & munere & nomine & dignitate diſtincti: Et quod ei maximè neceſſarium videbatur præcipuè

Pearſ. pag. 165 166.

inculcabat, ut ab Hæreticis & Schiſmaticis caverent, remediúmque hoc malo maximè opportunum indicabat, ut Clero ſuo omnes adhærerent, & Chriſtianam unitatem colerent, omnéſque Cleri ordines ſui loci dignitatem obtinerent. Hæc leviſſima ratio Viri docti cauſam minimè juvat, quoniam ut mox dicebamus falsâ nititur ſuppoſitione nimirùm tres fuiſſe tempore Ignatij ſacros ordines: Secundò quale eſt admirandum iſtud remedium adverſus, hæreſes & Schiſmata, ut omnes ſcilicet Cleri ordines ſui loci dignitatem obtineant: Profectò Chriſtianorum ſaluti contra Hæreticos & Schiſmaticos malè olim proſpectum eſt, ſi defuerunt remedia Ignatiano iſto magis opportuna magíſque efficacia: Quorsùm efficaciſſimi iſtiùs remedij non meminit Irenæus in ſuis adverſus Hæreſes libris, neque Auguſtinus contra Donatiſtas omnium Schiſmaticorum deterrimos acerrimè diſputans; nec denique Auguſtino vetuſtiores qui Novatianorum Schiſma inſectati ſunt. Tertiò falſum eſt quod affirmat Vir doctus pag. 166. *Nullum omnino ſecundi ſæculi Scriptorem, cum gradus enumerat, nomen Presbyteri ei qui Epiſcopus eſſet tribuiſſe*; contrarium patet ex Epiſtolâ Polycarpi ad Philippenſes; *Subjecti eſtote Presbyteris*

& Diaconis ſicut Deo & Chriſto; ſi Epiſcopum habuiſſent Philippenſes Presbyteris ſuperiorem, eum non obliturus erat Polycarpus: *Quis dabit* (inquit Vir doctus) *Epiſcopum Philippenſium tunc in vivis fuiſſe*? Reſpondeo neque ſuperſtitem neque mortuum fuiſſe Philippenſium Epiſcopum Presbyteris ſuperiorem, nullum quippe ejuſmodi Epiſcopum noverant Philippenſes; nam ſi habuiſſent, & nuper mortuus eſſet, eos ſine dubio de illius morte erat conſolaturus, & ut alium in ejus locum ſubſtituerent moniturus atque hortaturus. Quod addit, *aut cùm de ſingularibus ſui temporis miniſtris loquitur*, frivolum eſt nec Dallæo nocet, & præterea eadem falsâ nititur ſuppoſitione de tribus in Eccleſiâ Ignatij ætate ordinibus ſacris; frivolum autem eſſe nec Dallæani argumenti vim elevare conſtat; 1. quia Dallæi propoſitio non eſt univerſalis affirmans quæ negativâ particulari everti poſſit; non enim affirmat Dallæus omnes ſecundi ſæculi Scriptores, *Epiſcopi* & *Presbyteri* vocabulis promiſcuè ſemper uſos eſſe, hoc ſi affirmaret, appoſitæ eſſent Viri docti exceptiones, ſed cùm nihil ejuſmodi aſſerat præſtantiſſimus Dallæus, fruſtrà eſt Vindiciarum Auctor dum tales adhibet exceptiones. 2. falſa eſt Viri docti

negativa ut liquet ex verbis Polycarpi mox deſcriptis, Polycarpus ſiquidem ſupremos Eccleſiæ Philippenſium rectores nuncupat Presbyteros, qui etiam Epiſcopi appellabantur, immò ſeipſum in Epiſtolæ inſcriptione Presbyteri nomine inſignit, ſaltem nihil aliud ſonare videntur hæc inſcriptionis verba, *Polycarpus, & qui cum eo ſunt Presbyteri*: Nam ſi gradum Presbyteratu ſuperiorem obtinuiſſet, à Presbyteris ſuis Epiſcopi nomenclaturâ ſe diſtinxiſſet, prætereà Irenæus qui Polycarpi auditor fuerat, quique libros ſuos adverſus hæreſes XV. circiter poſt illius mortem annis ſcribebat, eum *Beatum & & Apoſtolicum Presbyterum* vocat apud Euſeb. lib. 5. cap. 20. 3. non planè conſtat Epiſtolicum Ignatium gradus ſemper enumerare, vel de ſingularibus ſui temporis miniſtris loqui, quoties Epiſcopos à Presbyteris adeò caſtè ac religioſe ſecernit; nec quicquam cauſæ eſt cur celeberrimus Ignatianorum vindex Epiſcopos demortuos & antiquiores, ſuperſtitibus & præſentibus opponat pag. 167. 178. Quaſi Irenæo licitum fuerit illos Presbyteros appellare, hos verò nequaquam; Irenæus enim de Epiſcopis ſe antiquioribus non ſolùm ita loquitur, ſed etiam de præſentibus ac ſuperſtitibus: Franciſcus

Combeſiſius in noviſſimo Auctario Bibliothecæ Græcorum Patrum, Symbolas quaſdam S. Irenæi ex varijs Catenis collectas exhibet, in quarum unâ hæc legas velim. *Ejus generis Presbyteros alit Eccleſia, de quibus & Petrus ait, DABO PRINCIPES TVOS IN PACE, ET EPISCOPOS TVOS IN IVSTITIA.* *pag.*299 *part.* I.

XXXII. Reſtat quarta doctiſſimi Vindiciarum Auctoris Aſſertio, quæ non magis quàm cæteræ Dallæo incommodat; Nam à nominibus ex quorum confuſione petitum eſt Dallæi argumentum, ad ipſos tranſit ordines quorum numerum non ſollicitavit adverſarius, neque an duo aut tres Ignatij ætate in Eccleſiâ fuerint anxiè quæſivit; ſi duos tantùm fuiſſe affirmaſſet Dallæus, tunc quartæ Viri docti Aſſertioni locus fuiſſet, quâ aſſerit pag. 172. tres ſacros ordines ſeu gradus diſtinctos in Eccleſiâ fuiſſe eâ ætate quâ S. Ignatius Epiſtolas ſcripſiſſe dicitur. At cùm nihil tale affirmaverit, nec quæſtionem de ordinum ſacrorum numero attigerit, fruſtrà eſt Vir doctus dum quartam ſuam Aſſertionem quæ de ipſis agit Ordinibus, Dallæi argumento ex promiſcuo vocabulorum uſu deprompto opponit. Quid eſt certamen fugere, vímque argumenti adverſarij declinare, ſi hoc non eſt? Quid

non dicturus erat Vir doctus, ſi Vſſerij & Hammondi argumentis reſpondiſſet Dallæus, ut ipſe nunc Dallæo reſpondet? Qui reſpondentis partes agit adverſarij argumento inhærere debet, quæ illi objiciuntur ſolvere, nec à quæſtione propoſitâ tantillùm deflectere. Tamen contrarium planè fecit Eruditiſſimus Vindiciarum Auctor, in eo magis culpandus quod hæc ſcripſit pag. 155. *Dallæus dat Hammondo tres ſub Apoſtolorum tempore, qui nomina Epiſcopi & Presbyteri promiſcuè uſurpaſſe dicuntur, tres Ordines ſeu gradus in Eccleſiâ extitiſſe.* Quo ſenſu id Hammondo dederit Dallæus explicavi ſupra. Iam hoc ſolùm volo, conſtare ſcilicet ex iſtis Viri docti verbis, Dallæo hanc de Ordinum Sacrorum numero quæſtionem tractare minimè propoſitum fuiſſe; De re ipsâ non diſputat Ignatianorum impugnator, de ſolis agitur nominibus, dilatâ fortè in aliud tempus de ſacrorum ordinum numero quæſtione; percurratur caput XXVI. quod prolixum eſſe & laborioſum tradit Vir doctus, & quo toto Dallæus ſuum perſequitur Palmarium argumentum, nullibi reperietur illum ex Ordinum ſacrorum numero argumentatum eſſe, nec ad hanc quæſtionem elucidandam animum applicuiſſe; Illius verba quæ

quæ extant pag. 386. iterùm deſcribere non pigebit. *Nunc de re ipſa non diſputo. Ordinum nomina, de quibus nunc ſolis diſputo, nondum iſtis Apoſtolorum & Apoſtolicorum temporum ita à ſe invicem diſtincta fuiſſe videntur, ut non aliquando, immò ſæpiſſimè nomen PRESBYTERI, quod ſecundi ordinis miniſtros nunc ſignificat, de iis diceretur, quos nunc volunt eſſe primi; & viciſſim EPISCOPI, quod eſt primi ordinis nomen, de ſecundi ordinis Miniſtris acciperetur.* Non potuit diſertiùs teſtari præſtantiſſimus Dallæus de ſolis ſe ordinum nominibus diſputaturum eſſe, nec ad rem ipſam examinandam ullo modo acceſſurum. Argumento igitur ex ſolâ nominum confuſione deſumpto inhærere debebat Ignatianorum vindex, nec in aliud excurrere, ut ſcilicet conflictum vitaret, nec ad lineam à Dallæo deſcriptam decertaret. Sed Virum doctum audiamus ſuam diſputandi methodum ſic defendentem p. 172. *ne Salmaſij ſententiam intactam relinquere, aut conceſſioni Dallæanæ nimis fidere videar, de hac re ulteriùs diſſerendum eſſe putavi. Sit igitur quarta Aſſertio, Eâ ætate quâ S. Ignatius Epiſtolas ſcripſiſſe dicitur tres ſacros ordines ſeu gradus diſtinctos in Eccleſiâ fuiſſe.* Si de Salmaſio ageretur, qui, ut dicitur, duos tantùm ordines ſacros in Eccleſiâ

fuiſſe ævo Ignatiano docebat; aliquem colorem haberet quarta Viri docti Aſſertio, quæ Dallæi reſpectu eſt prorsùs ἀπροσδιόνυσος. Dallæus ob nihil aliud Hammondo largitus eſt tres ordines jam ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſiâ extitiſſe, niſi quoniam de ipſis agere non decreverat, aliter certè rem tractaturus erat, ſi quæſtionem de ſacrorum ordinum numero ad examen revocare ſtatuiſset; At quia ad argumentum quod toto capite XXVI. fusè perſequitur, non pertinet altera de ſacrorum ordinum numero diſputatio, eam intactam reliquit; Dallæi ergo exemplo cujus rationes expendit Vindiciarum Auctor, eam præterire debebat, ſolis adverſarij argumentis refellendis intentus; Verùm enimverò neglectis diſputationis præceptis, ſuíque immemor officij Vir doctus, monſtrum ſibi fingit quod debellet, extra oleas divagatur, & in vaſtiſſimum excurrit campum, novum proponendo argumentum, ad pompam magis & oſtentationem, quàm ad nodos ſolvendos enodandáſque difficultates comparatum, ne Virum doctum in his ſequamur erroribus vetant diſputandi leges; à quibus diſcedere religio eſt; cùm enim Dallæi argumenta ab adverſarij exceptionibus Vindicare tantummodo ſtatue-

rimus: Nemo opinor nobis vitio vertet, ſi alia quæ illum non feriunt inſoluta prætermittimus. Et ut palàm ſit quartam Viri docti aſſertionem Dallæum nequaquam ſpectare, conſiderandum eſt illius argumentum hoc niti fundamento, quod Epiſtolarum ſcriptor ſemper & ubique *Epiſcopatum* à *Presbyteratu* diſtinguit, *Epiſcopi* nomen majoribus, ut hodie loquuntur, Sacerdotibus conſtantiſſimè tribuendo, *Presbyteri* verò minoribus qui ſunt ordine in ſecundo, idque præter Apoſtolorum & Eccleſiaſticorum ad An. D. CC. Scriptorum conſuetudinem, qui vocabulis iſtis promiſcuè & indifferenter uſi ſunt, tam ij qui ante inſtitutos tres ordines ſcripſerunt quàm alij qui poſt eorum floruerunt inſtitutionem, non enim diffiteretur Dallæus tres fuiſse in Eccleſiâ ante finem ſecundi ſæculi ſacros ordines diſtinctos, & ex uno duos eſſe factos ſæculo illo inclinato & ferè præcipiti: potuit ergo abſque ullo cauſæ detrimento Hammondo largiri quod mox obſervabat Vir doctus, nempe ex ſolâ nominum confuſione diſputare in animo habebat adverſus Epiſtolarum Scriptorem qui ab Apoſtolici ſermonis ideâ & Apoſtolicorum ſecundi ſæcundi Scriptorum uſu ac conſuetudine planè penitúſque diſceſſit, quod de vero Ignatio

ſuſpicari non debemus, abſit enim ut concedamus aliquid ejuſmodi ſanctiſſimo contigiſſe Martyri, quem doctrinæ & ſermonis Apoſtolorum necnon Virorum Apoſtolicorum tenaciſſimum fuiſſe par eſt credere: vel ſi ab uſu recepto diſcedere voluiſſet, ut Epiſtolarum Scriptor qui ab eo omninò deſcivit, veriſimile eſt illum Chriſtianos quibus ſcribebat, quique Apoſtolico aſsueti erant ſermoni hac de re moniturum eſse, animíque ſui ſenſa explicaturum, ne fortè ob inſolentem ac inuſitatum ſermonem, neque mentem ejus capere, neque illius verba intelligere poſsent. Cùm ultra nominum confuſionem non progreſsus ſit Dallæus, nec de re ipsâ diſputârit, ultra nos etiam progredi vetat inſtituti ratio, extra quam excurrere non licet: Tamen quia Vindiciarum Auctor ſub finem capitis leviſſimis quibuſdam rationibus confuſionem illam nominum ex quâ argumentatus eſt Dallæus, pulſare nititur, age eas breviter expendamus.

XXXIII. Primò ſcribit pag. 180. Nullum ſecundi, vel etiam tertij ſæculi Scriptorem in ſcriptis Apoſtolicis confuſa eſse nomina *Epiſcopi* & *Presbyteri* obſervâſse. Frivola certè obſervatio, non negavit Vir doctus plures ſecundi ſæculi Scriptores his voci-

Digitized by Google

bus promiſcuè uſos eſse : Vnde igitur promiſcuum vocabulorum iſtorum uſum expiſcati ſunt, niſi ex Scriptis Apoſtolicis, in quibus confuſa eſse nomina *Epiſcopi* & *Presbyteri* eos obſervâſse opportet? Quamvis enim id diſertis verbis non teſtati ſint, rebus ipſis plus ſatis ſignificarunt; neque ab Apoſtolici ſermonis ideâ eos diſceſſiſse par eſt credere. Secundò obſervat pag. 181. Dallæum neminem Chryſoſtomo, Theodoreto, Hieronymo vetuſtiorem nominare, ut probet Epheſi, unius urbis, plures non primi ſed ſecundi gradus præpoſitos Epiſcoporum nomine ſignificari, Act. XX. 27. 28. Nominavit Dallæus qui commentaria in hunc Scripturæ locum conſcripſerunt; ſed hoc non impedit quominùs ſecundi ſæculi Scriptores *Epiſcopi* & *Presbyteri* vocabula, juxta ſcripturæ ſacræ uſum ac conſuetudinem, eodem planè ſenſu uſurpaverint. At Irenæus, inquit, non putavit eoſdem Viros eo loci & Epiſcopos fuiſse dictos & Presbyteros, & ad unius urbis Eccleſiam pertinuiſse; Ecce Irenæi verba quibus ſententiam ſuam tuetur lib. 3. cap. 14. *In Mileto enim convocatis Epiſcopis & Presbyteris, qui erant ab Epheſo, & à reliquis proximis civitatibus.* Hinc colligit Vir doctus Paulum neque unius urbis, neque ſolos

ſecundi ordinis præpoſitos convocâſse; neque illos Epiſcopos appellâſse. Sed turpiter errat: Irenæus enim Pauli veſtigia calcans unius ejuſdémque gradus præpoſitos, Epiſcopos & Presbyteros appellat; & ſi de ſolis Eccleſiæ Epheſinæ præpoſitis non loquitur Irenæus, à D. Lucæ narratione ſeorsùm abit, in quâ ſoli memorantur Epheſini præpoſiti: Verum hoc nihil ad rem facit, cùm conſtet ex ſequentibus quæ Viro docto deſcribere non libuit, Irenæum quos Epiſcopos & Presbyteros vocaverat, eos poſteà Epiſcopos tantùm appellare: hæc enim Apoſtoli verba ad omnes quos alloquebatur præpoſitos adjicit. *Attendite igitur & vobis, & omni gregi, in quo vos Spiritus propoſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Domini, &c.* Ergo confuſa eſse in Scripturâ ſacrâ nomina *Epiſcopi* & *Presbyteri* animadvertit Irenæus, aliter de Presbyteris minimè dicturus erat, quod Spiritus Sanctus eos propoſuit Epiſcopos. Tertiò dixerat Dallæus p.392. Apoſtolum cap. 1. Epiſtolæ ad Titum *Epiſcoporum* nomine donare, quos à Tito *conſtitui* præcipit *per Cretæ civitates Presbyteros.* Reſpondet Vindiciarum Auctor pag.181.182. Clementem Alexandrinum, Tertullianum, & Origenem aliter planè ſenſiſse; Quamobrem? Quia multa, inquit, eáque

diſtinctè Epiſcopo & Presbytero data præcepta in ſcripturâ obſervarunt, non minùs quàm Diaconis & Viduis. Sed fruſtrà eſt celeberrimus Ignatianorum propugnator; Nam Scriptores quos laudat ad verba quibus de agitur nequaquam reſpexerunt, cùm in illis nulla prorſus mentio fiat Diaconorum nec Viduarum, ſed tantùm Presbyterorum, quos Epiſcopos appellat: Prætereà Origenem non moror, quoniam floruit poſt tempus à Dallæo conſtitutum; Clemens verò & Tertullianus quorum ætate tres in Eccleſiâ fuiſse ſacros ordines inter ſe diſtinctos non negamus, præcepta unicuíque generi propria in ſcriptura ſacrâ ſe deprehendiſse putarunt, ut ſolent Veteres qui non raró ſcriprturæ ſacræ verba ſui temporis moribus ac inſtitutis accommodare non verentur; ſed ita tamen ut ipſi *Epiſcopi* & *Presbyteri* nomina indiſcrimatim uſurpaverint, ſicut à Dallæo demonſtratum eſt.

Pergit hoc pacto Vir doctus pag. 183. *Nemo eorum omnium qui communia Epiſcopi & Presbyteri nomina in SS. Scripturis fuiſſe putabant, in eo ſermonis genere Apoſtolos ſequutus eſt, aut alium quenquam ſequutum eſſe dixit* Hæc obſervatio falsa nititur ſuppoſitione quam ſupra exploſimus, neminem ſcilicet ante quartum ſæ-

culum communionem horum nominum in libris Apoſtolicis deprehendiſse, quod quàm falſum ſit ex ijs quæ hactenus ſcripſimus quivis facilè judicare poteſt; Nec minus falſum quod addit p. 185. Aërium, quem tanquam Hæreticum odioſiſſimè inſectatus eſt Epiphanius, primum omnium harum vocum communionem ad ſuam ſententiam confirmandam protuliſse: Plures enim longè ante Aërium extiterunt laudatiſſimi Scriptores, qui *Epiſcopi* & *Presbyteri* nominibus promiſcuè uſi ſunt. Quæ ſequuntur ad finem uſque capitis Dallæum non feriunt; conſtat enim de facto, plures ſcilicet ex Veteribus hanc nominum communionem aſseruiſſe: Num autem veris an falſis ad illam aſſerendam impulſi ſint rationibus, & an in ſuâ ſententiâ explicandâ conſenſerint vel diſſenſerint, noſtra non refert; quandoquidem facti non juris quæſtionem excutimus. Cæterùm miror Virum doctum nihil planè reſpondere huic ex 1. Tim. 4. 14. à Dallæo deſcripto teſtimonio p. 389. *Noli negligere gratiam quæ in te eſt* (Miniſterij Evangelici *gratiam* intelligit) *quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij.* Obſervat clariſſimus Dallæus hunc unicum eſſe in divinis libris locum, in quo Chriſtiani *Presbyteri*

byterij mentio fiat; ſed ita ut id nomen miniſtrorum primi gradus Collegium neceſſariò ſignificet, non autem ſecundi, quibus ſcilicet ordinandi & imponendi manus facultas, huic Collegio à Paulo attributa, nulla, inquit, ex eorum dogmate eſt, qui hunc ſecundum gradum à primo diverſum ſtatuunt. Palmarium ſanè argumentum & aliquâ Vindiciarum Auctoris reſponſione digniſſimum.

Excuſſis rationibus quibus Dallæani argumenti ex nominum confuſione deducti, vim atque pondus elevare niſus eſt doctiſſimus Ignatianorum patronus; ad ea refellenda quæ pro tribus ſacris ordinibus ſcripſit, libenter nos accingeremus, ni vetaret ut diximus inſtituti ratio: Tamen quamvis quæſtionem illam indiſcuſſam relinquere decreverim, duo aut tria teſtimonia contra trium ſacrorum ordinum numerum, à nemine quod ſciam adhuc adducta, deſcribere non pigebit, ut appareat quæ fuerit Veterum de Ordinum ſacrorum inſtitutione ſententia; Primum deſumptum eſt ex Libello de preſſuris Eccleſiaſticis Attonis Epiſcopi Vercellenſis & decimi ſæculi Scriptoris; Is enim tom. 8. Spicilegij Dacherij pag. 63. poſtquam hæc B. Apoſtoli ad Timotheum verba citaverat, *adverſus Presbyterum ac-* XXXIV.

cuſationem ne recipias, & iſta ejuſdem Apoſtoli ex eadem Epiſtolâ & eodem capite quinto; *Delinquentes autem coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant*, de ſuo addit, *Non enim facilè credi debet de Epiſcopo vel Presbytero, quorum ordo adhuc diviſus non erat.* Secundum miniſtrat Vrbanus Papa II. qui primus omnium Pontificum Rom. Subdiaconos ad Epiſcopatum admiſit, opportunitate exigente, ſi tamen Pontifex Romanus vel Metropolitanus ita fieri conſenſerit; has autem conditiones Decreto ſuo apponi curavit, quia Subdiaconatus ad ſacros Ordines qui duo tantùm initio fuêre non pertinebat; Vrbani autem Decretum anno Domini M. XCI. conditum eſt in Concilio Beneventano, extàtque apud Marcam de concord. lib. 8. ad calcem cap. XIII. pag. 332. *Nullus deinceps*, inquit, *in Epiſcopum eligatur, niſi in ſacris ordinibus religioſè vivens inventus eſt. Sacros autem Ordines dicimus, Diaconatus, atque Presbyteratus. Hos ſiquidem ſolos primitiva lege Eccleſia habuerit, ſuper his ſolùm præceptum habemus Apoſtoli. Subdiaconis verò, qui & ipſi altaribus adminiſtrant, opportunitate exigente concedimus, ſed rariſſimè; ſi tamen ſpectatæ ſint religionis & ſcientiæ. Quod ipſum non ſine Romani Pontificis vel Metropolitani licentiâ fieri per-*

mittimus. Tertium quod profero teſtimonium depromptum eſt ex Canonum Collectione propediem edendâ quæ Anſelmo tribuitur, & ex quâ obſervat Vir doctiſſimus Antonius Auguſtinus de Emendatione Gratiani Dial. XV. lib. 1. ultimæ editionis pag. 172. Anſelmum hoc referre ex Hieronymo in Epiſt. ad Titum cap. 1. *Olim idem erat Presbyter qui & Epiſcopus*, & quæ ſequuntur; ſed illi ſeriò dolet quòd iſta ſcripſerit Hieronymus, prout teſtatur obſervatione quam ſubjicit; *Totus*, inquit, *ille Hieronymi locus, niſi pleniùs ſcribatur, & cùm aliijs Hieronymi ſcriptis conferatur, nocere magis quàm prodeſſe poteſt.* Nempe Vir ille perſpicax Auguſtinus hunc Hieronymi locum Hierarchiæ Romanæ adverſari animadvertebat; ſed magis adhuc memorabile eſt quod ſcribit in additionibus in hunc Dialogum XV. pag. 178. *Anſelmus lib. 7. cap. 127. Polycarpus lib. 2. tit. 39. Rubrica ſcriptum eſt: Presbyter idem eſt qui Epiſcopus, ac ſolâ conſuetudine præſunt Epiſcopi.* Polycarpus quem laudat, *non eſt* (inquit pag. 361.) *Scriptoris nomen, ſed libri à Gregorio Presbytero collectore Canonum conſcripti.* Qua ætate vixerit Gregorius ille Presbyter non dicit. Quicquid ſit ex his quæ deſcripſimus teſtimonijs facilè colligitur, iſtos mediæ ſeu ſaltem incli-

Digitized by Google

natæ ætatis Scriptores vetuſtioribus om-
ninò concinere: teſtantur enim tempori-
bus Apoſtolorum Epiſcoporum & Pres-
byterorum ordinem nondum diviſum eſ-
ſe, ex uno ſiquidem gradu duo nondum
fuerant facti, nullo alios primitivâ lege
habuiſſe Eccleſiam ordines ſacros præter
Presbyteratum & Diaconatum, ſoláque
conſuetudine præeſſe Epiſcopos, hoc eſt
Presbyteris eſſe ſuperiores: Quod quàm
ſit alienum à doctiſſimi Vindiciarum Au-
ctoris ſententiâ nemo non videt.

XXXV Vltimum Dallæi argumentum quod
examinandum ſuſcipio, & à Viri docti
exceptionibus Vindicandum, ex Epiſto-
larum inſcriptionibus depromptum eſt:
Dallæus cap. XXX. pag. 415. 416. 417.
Contendit inſcriptiones illas mirificas
eſſe, laciniosſas, inconditas, prodigio-
ſæ longitudinis, præter omnium anti-
quiſſimorum Sanctorum uſum, ut Cle-
mentis, Polycarpi, Smyrnenſium, Lugdu-
nẽſium, Cypriani, Cornelij, Firmiliani, &c.
qui Epiſtolis ſuis inſcriptiones ab Igna-
tianis longè diverſas præfixerunt; utrúm-
que probavit præſtantiſſimus Dallhus ad-
ductis in medium deſcriptíſque tùm Epi-
ſtolici Ignatij, tùm aliorum inſcriptioni-
bus; ut ex utrarúmque collatione lique-
ret Ignatianás, unâ ad Polycarpum ex-

ceptâ, tales eſſe quales aſſerit; Reſpondet Vindiciarum Auctor cap.16. pag. 211.212. tres ex earum numero excipiendas eſſe, nempe Inſcriptiones ad Smyrnæos, ad Epheſios, & ad Tralleſios, *neque enim,* inquit, *contra has vel una exceptione utitur Vir doctiſſimus*: Miror profectò hæc ſcripſiſſe Eruditiſſimum Pearſonium, cùm diſertè teſtetur Dallæus, præter eas quæ ſunt ad Mariam Caſtabalitam, & ad Polycarpum, & ad Antiochenos, & ad Philippenſes, cæterarum octo longiſsimas eſſe, & laciniosas & impeditiſſimas inſcriptiones, quaſdam etiam planè prodigioſas, vel hyperbatis, & hiulcis ac pendentibus, necdum abſolutis membris, deformes, vel inanibus & ſtreperis epithetis luxuriantes, vel aliquo denique vitio inſignes. Iam autem inter illas octo Epiſtolas quarum à Dallæo perſtringuntur inſcriptiones, numerantur ſex Vindiciarum Auctori probatæ & pro genuinis habitæ; aliquâ ergo exceptione utitur Dallæus contra Inſcriptiones Epiſtolis ad Smyrnæos, ad Epheſios, & ad Tralleſios præfixas: Præterea idem Dallæus p. 417. illam ad Smyrnæos, & ipſam pariter ad Epheſios particulatim exagitat ac reprehendit; Verum equidem eſt Dallæum Inſcriptionem quæ Epiſtolæ ad Romanos

præſcribitur integram deſcripſiſſe, & in illâ expendendâ, illiúſque vitijs notandis paulò diutiùs immoratum eſſe; nec immeritò, nam ejuſmodi eſt, ut eam totam patienter legere, vix aliquem reperias, qui ſuſtineat: Illam tamen qualis extat apud Vetuſtiſſimum Vſſerij Interpretem, exhibere non gravabor: *Ignatius qui & Theophorus, habenti propitiationem in magnitudine Patris altiſſimi, & Ieſu Chriſti ſolius Filij ipſius, Eccleſiæ dilectæ & illuminatæ in volnutate volentis omnia quæ ſunt ſecundum dilectionem Ieſu Chriſti Dei noſtri, quæ & præſidet in loco chorij Romanorum, digna Deo, digna decentiâ, digna beatitudine, digna laude, dignè ordinata, dignè caſta, & præſidens in charitate, Chriſti habens legem, Patris nomen, quam & ſaluto in nomine Ieſu Chriſti Filij Patris, ſecundum carnem & ſpiritum unitis in omni mandato ipſius, impletis gratiâ Dei indiviſim, & abſtractis ab omni alieno colore, plurimùm in Domino Ieſu Chriſto Deo noſtro immaculatè gaudere.* Quis ferat Inſcriptionem adeò prolixam, involutam & impeditam, necnon coacervatis & malè congeſtis laudis epithetis ſcatentem? longitudinem tuetur Vindiciarum Auctor exemplo S. Pauli qui longiuſculam Epiſtolæ ad Romanos præfixit inſcriptionem; fatetur Dallæus, non

brevem & expeditam eſſe, ut vulgò mos erat, Paulinam inſcriptionem, ſed longiuſculam, & nonnihil involutam, ob res graviſſimas quibus plena eſt. At Deus bone! quantum eſt diſcriminis Paulinas inter & Ignatianas Epiſtolarum inſcriptiones, ſive res ipſas ſpectes, ſive Orationem attendas: Præterea quòd Apoſtolus ſemel atque iterùm fecerat, in omnibus pænè Epiſtolis feciſſe Epiſtolicum Ignatium affirmat Dallæus; *Coacervata* (inquit Pearſonius) *& ſpumoſa Epitheta damnat*: Quidni damnaret? cùm ea uſurpet Epiſtolarum Scriptor præter conſuetudinem Eccleſiaſticorum Scriptorum Ignatij vel æqualium vel ſupparium, vel denique eo longè juniorum, ut liquet ex varijs à Dallæo allatis Inſcriptionibus: Excuſat, ſi Virum doctum audimus, gentis Syrorum in ſcribendo mos, & familiaris conſuetudo: Quamobrem? Quia, inquit, Aſiaticum loquendi genus reprehendebant Critici Veteres; ſed nihil aliud expectabant ab ijs qui in Aſiâ ſemper vixerunt, quod probat Ciceronis teſtimonio qui Aſiaticos Oratores nimis redundantes eſſe ſcribit; unde colligit neminem miraturum eſſe, ſi redundantes & tumidæ videantur Inſcriptiones Ignatianæ; quoniam ex Aſiâ vel Syriâ Autor

profectus eſt: Addit Vir doctus alium characterem Epiſtolis convenire familiaribus, alium verò quodammodo elatiorem dùm ad civitates ſcribitur, & hoc ultimo uſum eſſe Ignatium in Epiſtolâ ad Romanos: Sed pace doctiſſimi Viri dictum ſit; hæc ſunt vaniſſima ſubterfugia; Nam 1. etſi nimis redundantes ſint Aſiatici Oratores in Orationibus ſuis, hinc non ſequitur redundantes & tumidas fuiſſe quas Epiſtolis ſuis præſcribebant Inſcriptiones; dum ad civitates ſcribitur, paulò quodammodo elatiores debent eſſe Epiſtolæ, eſto; At ex eo quod paulò elatiores ſunt quæ ad civitates ſcribuntur Epiſtolæ, colligi non poteſt redundantes & tumidas fuiſſe æquè ac Ignatianas illarum Inſcriptiones. 2. Proferat Vir doctus Syrorum & Aſiaticorum Inſcriptiones Epiſtolarum Ignatianis ſimiles, ut excuſatum habeamus Epiſtolicum Ignatium; donec enim protulerit, vix ferri poterunt illius laciniosæ & impeditiſſimæ Inſcriptiones: 3. Aſiaticus erat Polycarpus, extátque illius ad Philippenſes Epiſtola, cujus hæc Inſcriptio eſt; *Polycarpus, & qui cum eo ſunt Presbyteri, Eccléſiæ Dei, quæ eſt Philippis, miſericordia vobis, & pax à Deo omnipotente, & Ieſu Chriſto ſalvatore noſtro abundet.* Aſiatici erant Smyrnæi, Inſcriptio

ptio tamen Epiſtolæ Eccleſiæ Smyrnenſis, Eccleſiæ Dei apud Philomelium, & omnibus ubicunque terrarum ſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ populis inſcriptæ, ſimpliciſſima eſt; nihilque prorsùs commune habet cum Ignatianis. *Eccleſia Dei quæ eſt Smyrnæ, Eccleſiæ Dei apud Philomelium, & omnibus ubicunque terrarum ſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ populis, miſericordia, pax & caritas Dei Patris, & Domini noſtri Ieſu Chriſti multiplicetur.* Syri & Aſiatici erant plerique eorum qui Paulum Samoſatenſem Sacerdotio abdicarunt, nihil ideò redundans aut tumidum reperies in Epiſtolæ illorum Synodicæ Inſcriptione apud Euſebium lib. 7. cap. 30. *Dionyſio & Maximo, & omnibus per univerſum orbem comminiſtris noſtris, Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis, & univerſæ Eccleſiæ Catholicæ quæ ſub cœlo eſt, Helenus & Hymenæus, Theophilus, &c. Cariſſimis fratribus in Domino ſalutem.* Nec quicquam cauſæ eſt cur Vir doctus excipiat, Ignatium ſolum & vinculis innexum Florentiſſimas ſalutare Eccleſias, quaſi tunc Inſcriptiones longiſſimas, inconditas & impeditiſſimas, præter omnium antiquiſſimorum Sanctorum uſum, Epiſtolis præfigere liberum eſſet; Hæc enim Pearſonij obſervatio plus ſubtilitatis habet

Edit. Vſſer. pag. 13. & apud Euſeb. lib. 4. cap. 15.

quàm ſoliditatis : immò ſi verum amamus, frigidum eſt commentum in eum tantùm finem excogitatum, ut ſcilicet Epiſtolicus Ignatius indemnis evadat; & ut iſtius commenti vanitas magis innoteſcat, & omnia quæ inter Ignatij & aliorum Epiſtolas profert diſcrimina penitùs explodantur, unico contentus ero exemplo quod extat apud Euſeb. lib. 6. cap. XI. ibi enim talem habemus Alexandri in cappadociâ primùm, deinde Hieroſolymis Epiſcopi ad Antiochenſem Eccleſiam Epiſtolæ Inſcriptionem. *Alexander ſervus Dei, & vinctus Ieſu Chriſti, beatiſsimæ Antiochenſium Eccleſiæ in Domino ſalutem* : Alexander ipſe unicus & vinculis innexus perinde ac Ignatius, Florentiſſimam, ut quivis videt, ſalutat Eccleſiam totius Orientis Metropolim, cujus Paſtor fuerat verus Ignatius : nec propterea coacervatis & congeſtis Epithetis eam varijs ornat encomijs aut ſummis effert laudibus : Chariſmata autem quæ tempore Ignatij in Eccleſijs apparebant, Epiſtolarum Scriptorem non excuſant; apparebant etiam tempore Narciſſi cujus adjutor fuit Alexander prout liquet ex cap. 9. ejuſdem libri Euſebij; quæ ſequuntur apud Pearſonium pag. 216. 217. alibi excuſſimus. Et ita tandem ſuſcepto

labore perfuncti ſumus, præcipuè Dallæi argumenta adverſus omnes doctiſſimi Vindiciarum Auctoris objectiones defendimus, & ab ejus Vindicavimus exceptionibus, idem de cæteris facili negotio facturi, niſi abundè ſufficerent quæ expendimus, ut Ignatio Apoſtolorum diſcipulo, ſanctiſſimoque Chriſti martyri abjudicentur, quæ illius nomen falsò præferunt Epiſtolæ.

FINIS.

Digitized by Google

CORRIGENDA.

PARTE PRIORI.

Pag. 5. l. 21. ὁμοψήφων
p. 6. l. 9. Scripto
p. 15. l. 23. eo
p. 21. l. 24. autem
p. 49. l. pen. levitas
p. 54. l. 16. Dallæus
p. 69. l. 12. Scriptor
p. 112. l. 15. argumenti
p. 127. l. 8. laudabas

PARTE SECUNDA.

p. 152. l. 28. natas. ibid. loquatur
p. 157. l. 21. palmarium
p. 158. l. 21. fato, & l. 27. veritus
p. 203. l. 14. Orontem
p. 205. l. 3. initia
p. 231. l. 23. παρέμψεν
p. 242. l. 3. extant
p. 278. l. 6. appellaverant
p. 284. l. 24. opponat
p. 291. l. 7. halitu
p. 298. l. 7. 8. confuſione
p. 301. l. 14. carere
p. 313. l. 5. temporibus
p. 315. l. 28. ſæculi

IN BEREVEGII ANNOTATIONES.

p. 7. l. 24. 25. decernebant
p. 8. l. 5. extat
p. 10. in margine lib. 5.
p. 21. l. 1. obſervat, & l. 6. & 8. L.
p. 32. l. 18. cum
p. 34. l. 5. L. & l. 13. ait Beveregius.

Errata reliqua benevolus Lector, præſertim in vocibus quæ accentibus intempeſtivè notatæ ſunt, facilè condonabit.

Digitized by Google

OBSERVATIONES
IN ANNOTATIONES
GUILLELMI BEVEREGII
IN
CANONES APOSTOLICOS.

GUILLELMUS BEVEREGIUS qui Pandectas Canonum SS. Apoſtolorum & Conciliorum ab Eccleſiâ Græcâ receptorum, necnon Canonicarum SS. Patrum Epiſtolarum, magno reipublicæ litterariæ bono, nuper edidit, Canones illos, imprimis Apoſtolicos eruditiſſimis illuſtrare dignatus eſt obſervationibus, in quibus haud vulgarem viri docti & in hoc litterarum genere non ſine laude verſati, cernere eſt eruditionem. Etſi meo quidem judicio plura ſcripſerit quæ omnium forſan eruditorum palato non ſunt ſapitura; Ab illis tamen examinandis ac refellendis lubens abſtinuiſſem, ni Beveregius iiſdem cum Pearſonio permotus rationibus, Dallæum noſtrum fœlicis recordationis virum, et de Eccleſiâ Dei optimè meritum adortus eſ- I.

Digitized by Google

ſet, & velut Pſeudapoſtolicorum Canonum antiquitatis inimicum quodammodo exagitâſſet. Ut juſta igitur tanti Viri nomini & famæ ſoluam parentalia, eum adverſus poſteriorem iſtum non mediocri eruditione adverſarium etiam defendere decrevi. Si veritatis minus amans fuiſſet Dallæus, celeberrimos iſtos impugnatores non expertus eſſet: At quoniam amica magis illi fuit veritas, quàm Plato nec Socrates, ſtylum in eum ſtrinxerunt doctiſſimi Viri, veriti ſcilicet ne proſtrata jaceret, quam divinam putant divinituſque inſtitutam, Epiſcoporum ſupra Preſbyteros eminentia & autoritas, ſi epiſtolis Ignatianis & Apoſtolicis Canonibus larua penitùs detraheretur. Nempe Ignatius epiſtolicus Epiſcopatum, Preſbyteratum & Diaconatum identidem occinit, ut perſuadeat tres ab initio extitiſſe in Eccleſiâ Sacrorum miniſtrorum ordines inter ſe diſtinctos, nec aliter ferè reprobæ monetæ, hoc eſt Pſeudapoſtolicorum canonum cuſor ac malleator: Quamobrem Viri eruditi magnique Hierarchiæ Eccleſiaſticæ tibicines, Scriptorum ejuſmodi, quibus præcipuè innititur omnis Epiſcoporum ὑπεροχὴ patrocinium ultrò ſuſcipiunt; quanto cum ſucceſſu id præſtiterit vindiciarum Auctor oſtendimus, num autem ex ſententiâ Bevere-

gio ſucceſſerit labor ab eo ſuſceptus, jam diſquirendum eſt. Beveregius equidem canones dequibus lis eſt Apoſtolis non adſcribit, de illorum tantum antiquitate certat, eoſque longè vetuſtiores eſſe contendit, quàm arbitratus eſt Dallæus. Verum antequàm regularum iſtarum vetuſtatem expendat, duas agitat quæſtiones, alteram de canonum numero, de eorum autoritate alteram. Priorem quæſtionẽ quod ſpectat, eam ſic definit Vir doctus, nihil certi de canonum numero ante Dionyſium Exiguum haberi poſſe; At poſtquam Monachus ille Scytha & deinde Abbas Romanus, Codicem Canonum Eccleſiæ Orientalis è Græca in Latinam Linguam tranſtulerat, cui etiam Latinam ſuam Canonum quinquaginta ſub Apoſtolorum nomine verſionem præfixerat; ſolos illos quinquaginta Canones per totum propemodùm Occidentem, Apoſtolorum titulo dignatos eſſe opinatur Beveregius, & inter reliquos Conciliorũ Canones à Dionyſio verſos obſervari cæpiſſe non veretur affirmare, quod quàm falſum ſit, fusè adverſus Pearſonium demonſtravimus: Apud Græcos verò obtinuiſſe LXXXV non diffitemur, ab eo uſque tempore quo Joannes Scholaſticus, Primò Antiochiæ preſbyter, poſteà verò ad thronum Conſtantinopoli-

tantum à Juſtiniano imperatore promotus, ſuam Canonum collectionem edidit in L. titulos diſtributam, quibus Canones hoſce Apoſt. LXXXV. inter alios Conciliorum commiſcet. Ut de numero ſic & de authoritate horum Canonum, quæ altera eſt quæſtio, in varias, inquit Vir doctus, abitur partes, alijs ab Apoſtolis vel compoſitos, vel ſaltem Clementi dictatos aſſerentibus, alijs verò dubios & ſuppoſititios eſſe, & Apoſtolis falſò adſcriptos contendentibus; Damaſceni ſiquidem opinio, qui falſos & nuperos iſtos Canones divinis libris per intolerabilem, Planèque Sacrilegam audaciam exæquavit, jam olim exploſa eſt, & ab ipſo Beveregio meritò damnatur. Quicquid ſit Vir eruditus ut inter duas latitantem opiniones ipſam inueſtiget veritatem, & ſummam quoad ejus fieri poteſt, Canonum horum antiquitatem, ijſque debitam exinde pendentem autoritatem inueniat, antiquiora SS. Patrum qui annum quingenteſimum præceſſerunt, volumina conſulere ſtatuit; Quæ pro ſuorum Canonum antiquitate allaturus eſt ſingillatim diſcutiemus, ſi prius monuero duos Iſidoros à Beveregio in unum conflari videri pag. 2. 3. Nempe Iſidorum Hiſpalēſem Archiepiſcopum magni nominis virum & anno ſeptimi ſæculi ſexto & triceſimo de-

hatum, conſultò confundere videtur, cum Iſidoro Mercatore noni ſæculi tènebrione, qui ſtramineas primorum Pontificum Romanorum Decretales epiſtolas peſſimo conſilio conſarcinavit; quoniam quos hic Mercator Canones probat Apoſtolicos, ille reijcit, & à ſede Apoſtolicâ mimimè receptos diſertè teſtatur: prout à nobis contra Ignatianorum Patronum oſtenſum eſt, ubi etiam quæ deſcribit Hincmari verba Beveregius pag. 3. explicavimus, & locum quodammodo luxatum appoſitè ni fallor reſtituimus.

His præmiſſis expendenda ſunt quæ profert Vir doctus teſtimonia, ut Canonibus ſuis ſummam compararet antiquitatem; Telam à Chalcedonenſi ſynodo exorſus, uſque ad ipſa tempora quibus hi Canones illi conſtituti videntur, hoc eſt, ad prima propemodum Eccleſiæ recens natæ incunabula eam gradatim aſcendendo protrahere molitur, ut ait num. 8. pag. 3. 4. Utrum Viri docti tela bilix ſit an triplix ignoratur. Vereor tamen ne ſtamini malè ſubtexta trama peſſimam conficiat carbaſum. Ex Synodo Chalcedonenſi hæc Can. XXII. verba deſcribit, *non licere clericis poſt mortem ſui Epiſcopi, res ad eum pertinentes diripere, ſicut antiquis quoque Canonibus prohibitum eſt.* Per hos antiquos Canones nullum alium II.

deſignari putatvir doctus præter Canonem XL. Apoſt. quo cautum eſt ne mortuo Epiſcopo rerum Eccleſiaſticarum occaſione, quæ propria fuerant Epiſcopi intercciderent, ſive diriperentur: Interpretationis ſuæ iſtam adfert rationem Beveregius, quòd nullos alios Synodo Chalcedonenſi vetuſtiores Canones invenire eſt hoc prohibentes, præter Apoſtolicos. Profectò ſatis mirari non poſſum hæc à Beveregio ſcripta eſſe, quem ſcilicet latere non poterat, paria præcipere Synodi Antiochenæ Can. XXIV. centum & decem annos ante Chalcedonenſem; Ad Canonem igitur Antiochenum eò magis referenda ſunt Patrum chalcedonenſium verba, quòd Antiochenæ regulæ omnibus notiſſimæ erant, & ab ipſis Chalcedonēſibus Patribus diſertiſſimè, neque ſemel ex codice Eccleſiæ univerſalis citatæ; cùm Canonum Apoſtolicorum codicis, neque in Chalcedonenſi Synodo, neque in ſuperioribus retrò monumentis ulla extet mentio. Dallæus contra Turrianum diſputans eandem adhibuerat ſolutionem ad objectionem ex Synodo Chalcedonenſi depromptam, Dallæi ſolutionem impugnare debebat Beveregius, & Turrianum à quo pleraque ſua accepit argumenta adverſus ipſum Dallæum fortiter tueri: Canoni Antiocheno non intempe-

Dall. de Pſeud. Apoſt. lib. 3. cap. 10. pag. 538.

Digitized by Google

ſtivè fortè adijcias Canonem XXXII. Codicis Canonum Eccleſiæ Africanæ ex Concilio Carthaginenſi anno Domini CCCCXIX. habiti. Ut ut eſt quoniam clariſſimus Dallæus pleraque Beveregij argumenta refellit Turrianicis occurrendo objectionibus, ne actum agere videamur, ea ſolùm deinceps examinaturi ſumus quæ de novo proponit, & Dallæi reſponſiones ab ejus exceptionibus, ſi aliquibus fortè utitur, vindicaturi.

In totâ Præfatione ubi agit de numero & autoritate necnon de antiquitate iſtorum Canonum, pauciſſima adfert pag. 3. 4. quibus à Dallæo abundè ſatisfactum non fuerit; adeò ut etiamnum valeant illius reſponſiones, quando nullis adverſus eas uſus eſt exceptionibus Vir doctus. Nouum adfert pro antiquitate Canonum Apoſtolicorum teſtimonium, ex quodam Concilio provinciali deſumptum; celebratum eſt anno CCCLXXXXIV Conſtantinopoli, de Agapio & Bagadio, utroque Epiſcopatum Boſtræ ſibi vendicante, in quo Nectarius Conſtantinopolitanus & reliqui Patres decernebent, Epiſcopum accuſatum non niſi Synodi & provinciæ Epiſcoporum ſententiâ deponendum eſſe, *ſicut etiam Apoſtolici definière Canones.* His ultimis verbis ad Can. Apoſt. LXXIV. reſpexiſſe Concilij Patres contendit Beveregius; Turrianus ma-

Digitized by Google

ximus antiquitatis helluo, & acerrimus Canonum iſtorum propugnator, teſtimonium iſtud vel non viderat vel contempſerat; nulla enim Dallæi ad hoc teſtimonium extet reſponſio. At propterea non eſt quod ſibi gratuletur Beveregius, quaſi multùm conferrent ad ſuorum Canonum antiquitatem ſtabiliendam, hujus Synodi verba; Plura ſiquidem reponi poſſunt; 1. Canon LXXIV. ad quem reſpexiſſe Concilij Patres hariolatur, Græcis tunc temporis vix notus erat; Nemo enim Græcorum Canones LXXXV. in lucem protulit ante Joannem Antiochenum qui ſub Juſtiniano florebat fatente ipſo Beveregio: 2. Canon ille ſynodicæ definitioni quâ de agitur nequaquam congruit, nihilque ferè cum eâ commune habet. 3. Balſamon, Zonaras & Ariſtenus qui hanc ſynodicam definitionem interpretati ſunt, nihi planè dicunt de Canone Apoſtolico, neque ad eum reſpexiſſe Synodum innuunt; obſervant dumtaxat Canonem duodecimum Synodi Carthaginenſis iſtâ Conſtantinopolitanâ poſterioris rem aliter definiiſſe, & conſtitutionis ex quâ argumentatur Vir doctus vim atque pondus elevaſſe, quod minimè facturi erant Carthaginenſes Patres, ſi eam Apoſtolico Canone inniti arbitrati eſſent. 4. Nullum præciſè Canonem indicant Con-

Conſtantinopolitani Patres; nullámque cujuſdam Canonum Apoſtolicorum ſylloges mentionem faciunt, ſed de Canonibus Apoſtolicis generaliter loquuntur; 5. Dallæus certis atque evidentibus argumentis demonſtravit, illam Apoſtolicorum; Canonum farraginem falſam ac fictitiam eſſe ab ignoto tenebrione multis poſt Apoſtolorum & Clementis mortem tēporibus conſarcinatā, quod imprimis de triginta quinq; poſtremis inter quos numeratur Canon. LXXIV. intelligendum eſt, ſi Dallæi argugumenta refelliſſet Vir doctus, noſtrum eſſet illius reſponſiones expendere & confutare, ſed quoniam pleraque intacta reliquit, exceptis quibuſdam Dallæi conjecturis quæ ad Canonum iſtorum antiquitatem ſpectant, Dallæanis argumentis inhærere nos opportet, donec ab Adverſario refellātur. 6. Fatetur ipſe Beveregius Canones iſtos neque ab Apoſtolis neque à Clemente illorum diſcipulo conditos eſſe; Ergo per Canones Apoſtolicos Conſtantinopolitani Patres Eccleſiaſticos ſignificant Canones ante illud tempus conſtitutos, quales ſunt Canones IV. XII. XIII. XIV. XV. Concilii Anthiocheni ante quadraginta tres annos ſanciti & ad quos reſpectum habuiſſe Synodi Cōſtantinopolitanæ Epiſcopos nullus dubito; immo forte etiam ad Canonem quar-

tum magni Concilii Nicæni, ubi Epiſcopum ab omnibus provinciæ Epiſcopis conſtituendum eſſe decernitur: ab iis enim eum deponi opportet à quibus eſt conſtitutus, nempe non minor debet eſſe abdicantium quàm conſtituentium numerus. Ideóque Arabianus Ancyræ Epiſcopus & Conſtantinopolitanorum Patrum unus hunc Nicænum Canonem ante annos circiter LXX. conditum laudat, ut oſtendat iniquam eſſe Bagadii Epiſcopi à duobus ſolis Epiſcopis factam depoſitionem. Cæterum Canones iſtos Eccleſiaſticos Apoſtolicorum nomine nuncupant Patres, non ſolùm quia doctrinæ Apoſtolorum conſonos eos eſſe putabant, ſed etiam quoniam *præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitrabantur*, ut loquitur Hieronymus Epiſt. 28. ad Lucinium.

III. Secundùm teſtimonium ad quod Dallæus nihil repoſuit, quia à nemine ante Beveregium objectum fuit deſcriptum eſt non ex Epiſtolâ ſecundi Concilii univerſalis Conſtantinopoli habitæ anno Domini CCCLXXXI. ut hariolatur Vir doctus, ſed ex alterius Synodi anno ſequenti eadem in urbe congregatæ, ad Damaſum, Ambroſium, alioſque tunc temporis Romæ congregatos Epiſtolâ, quâ inter alia dicunt, *antiqua, ut probè noſtis obtinuit*

Apud Theod. Hiſt. Eccleſ. lib. c. 9.

ſanctio, & ſanctorum Patrum qui Nicææ congregati ſunt, regula : nimirùm ut Antiſtites unà cum finitimis (modo ipſis viſum fuerit) Epiſcopis, prout utile judicaverint, ordinationes faciantin ſuis ipſorũ provinciis; Per antiquam illam ſanctionem deſignari opinatur Beveregius Can. Apoſt. XIV. & XV. quod nulla Synodo Nicænâ, ſi illum audimus, antiquior lex extitit quæ hoc conſtituit, præter Canones illos Apoſtolicos. At quam vana ſit ac frivola eruditi Viri ratiocinatio, pluribus demonſtratum imus, 1. Deſignati Canones nihil planè dicunt de Epiſcoporum ordinationibus, de quibus expreſſé agitur in teſtimonio allato, ut cuivis legenti patet; unde liquet, ut id obiter notem, ad fictitios iſtos Canones minime confugiendum eſſe, quoties apud Veteres fit mentio alicujus ſanctionis antiquæ quæ in genuinis quos habemus Conciliorum Canonibus hodie non extat, plures ſiquidem ejuſmodi ſanctiones uſu & conſuetudine obtinuêre, quæ tamen litteris ſtatim traditæ non fuêre. 2. Si tùnc temporis extitiſſent prædicti Canones, & ad eos reſpexiſſent Synodi Conſtantinopolitanæ Patres, pluſquam veriſimile eſt eos hanc Canonum collectionem memoraturos eſſe æquè ac Nicænorum Patrum regulam, vel ſaltem Canones ipſos ſuis numeris indica-

turos, 3. Fieri poteſt ut duabus locutionibus ſeu phraſibus unam & eandem rem ſignificaverint Patres, nempe regulam Niçænam quæ eorum reſpectu antiqua erat, ut pote ante annos LVII. promulgata. 4. Si antiquam illam ſanctionem à Nicænorum Patrum regulâ diverſam eſſe contendit Vir doctus; reſpondeo ſanctionem illam antiquam uſu ac conſuetudine tacitè, ut alia plura, introductam eſſe, & continuâ praxi roboratam, donec tandem à Concilio Nicæno primo in Canonem redacta & ſcripto mandata fuit: rem autem ita ſe habere facilè demonſtrari poteſt; Euſebius enim de Narciſſo Epiſcopo Hieroſolymitano verba faciens, tradit Hiſt. li. 6. cap. 10. alium ejus loco Epiſcopum à vicinis Epiſcopis conſtitutum eſſe; *Cæterum*, inquit, *poſt Narciſſi fugam, ignaris omnibus ubinam gentium ageret, viſum eſt finitimarum Eccleſiarum Epiſcopis alium ejus loco Epiſcopum ordinare, Dium nomine.* Narciſſo verò ut ita dicam redivivo, & ad ejuſdem Eccleſiæ clavum ſedenti, Alexander Jeroſolymarum Epiſcopus ordinatur & velut adjutor datur, ob admodùm provectam Narciſſi ætatem, annos quippe natus erat ſexdecim ſupra centum; quomodo ei adjutor datus ſit Alexander, & ad Epiſcopatum promotus Jeroſolymitanum, ſi rogas, reſponde-

bit Euſebius cap. XI. *Hoc factum eſſe conſentientibus vicinarum Eccleſiarum Epiſcopis*; nullâ prorſus mentione factâ legis aut ſanctionis ſcriptæ quæ hoc præciperet, non obliturus certè ſi aliquam tunc temporis extitiſſe ſciviſſet; nempe juxta conſuetudinem jam receptam egerunt Palæſtini Epiſcopi, non autem ſecundum aliquem ſcriptum Canonem; Hæc autem contigerunt annos circiter CXX. ante Concilium Nicænum; à quo primùm iſta conſuetudo ſcripto ut opinor, mandata eſt. Verùm enimverò, ne vulgari ſuo paralogiſmo in quo tantopere ſe jactat Beveregius, impoſterum abutatur Turriani veſtigia calcans, conſulat quæſo quæ adfert Clariſſimus Dallæus cap. 8. pag. 513. 514. ut paralogiſmi illius vanitatem oſtendat? ejus expendat interrogationes, illiſque appoſitè reſpondeat? & ni argumenti ſui vitium deprehendit, eum talpâ cæciorem eſſe opportet; Quoties offendit Beveregius loca quædam apud Veteres, in quibus fit mentio Eccleſiaſticorum & Apoſtolicorum Canonum, vel antiquæ legis, ſanctionis aut definitionis, ſtatim ea avidus arripit, & ad Canonum ſuorum antiquitatem commendandam & confirmandam etiam obtorto collo trahit: præſertim dùm nullum in cæteris quæ ſuperſunt antiquitatis monu-

mentis iſtiuſmodi ſanctionum extat veſtigium. Tamen ut ex his locis ritè argumentari poſſit Vir doctus, duo mihi neceſſaria videntur: alterum ut quibus de agimus ſanctiones in vetuſtis Conciliorum Canonibus non reperiantur: nam ſi repeпiuntur: quin ad vera illa ac genuina monumenta referendæ ſint, potiùs quàm ad notha & ſpuria, quales ſunt Apoſtolici Canones, dubitabit nemo: Alterum verò ut in Apoſtolicis Canonibus habeantur quotquot Veteribus memoratæ ſunt plurimis in locis, antiquæ definitiones ſeu regulæ, vetuſtæque ac canonicæ Eccleſiæ leges: Alioquin ſi quædam memoratæ ſunt quarum ne minimum quidem in totâ LXXXV. Can. Apoſt. ſylloge cernere eſt veſtigium; eas ab antiquo uſu & priſcâ conſuetudine arceſſamus & evocemus opportet. Tales autem ſunt illi Canones, illæque leges, ſanctiones ac regulæ quarumm eminerunt Nicæni Patres Can. XVIII. & forte etiam XIII. Ancyrani Can. 21. & Neocæſarienſes Can. XIV. prout eſt à Dallæo noſtro obſervatum: Ergo Beveregiani argumenti vim penitùs elevabo, quoties vetuſtas illas leges, ex quibus pro Canonum ſuorum æquo majore antiquitate argumentari ſolet, vel ad genuina quæ ſuperſunt Veterum monumenta referam, vel ad antiquum uſum

& priſcam aliquam conſuetudinem quæ in Eccleſiâ obtinebat, antequam ullus hac de re Canon ab aliquâ Synodo conditus eſſet.

Hoc pacto facilè occurram verbi gratia Objectioni ex Theodoreto ductæ: Theodoretus enim Hiſt. lib. 5. cap. XXIII. Euagrij in Epiſcopum Antiochenum ordinationem damnat, ut pote à Paulino ſolo deceſſore, & jam decedente factam, contra *Eccleſiaſticam regulam & multos Canones, qui neque morienti Epiſcopo permittunt ut ſuo loco quemquam conſtituat, & omnes provinciæ Epiſcopos convocari jubent. Præterea abſque tribus Epiſcopis ordinationem cujuſquam Epiſcopi fieri vetant.* Mirari ſubit hoc Theodoreti teſtimonium à Turriano prætermiſſum eſſe, tamen etſi nihil intactum reliquerit ut Canonibus Apoſtolicis quos deperibat fidem compararet; illud ſaltem inter Turrianica argumenta apud Dallæum non comparet: At Turriano multò naſutior Beveregius per Canones quos tranſgreſſum eſſe Paulinum tradit Theodoretus, ſignificari Can. Apoſt. I. & LXXVI. affirmare non veretur: Ego verò contra rejectis ſpuriis Can. Nicæn. IV. & Antiochen. XIX & XXIII. Deſignari acriter contendo, nec aliter hunc Theodoreti locum interpretatur in Annotationibus ſuis Doctiſſimus Henricus Valeſius. Hiſce Canoni- IV.

bus adcijci poteſt xx. Concilij Arelatenſis primi an.cccxiv. Prætereà abſurdam planè eſſe Viri docti ratiocinationem liquet, ex eo quod Canon primus Pſeudapoſtolicus Epiſcopi ordinationem à duobus Epiſcopis factam probat, Theodoretus autem Evagrij ordinationem vitioſam eſſe tradit & minimè Canonicam, quod abſque tribus Epiſcopis ordinationem cujuſquam Epiſcopi Canones fieri vetant: Canon verò lxxvi. Epiſcoporum tantum cognatos ſpectat, qualis non erat Evagrius Paulini reſpectu, addo quod adeò obſcurus erat tunc temporis Canon ille ut nondum in lucem prolatum eſſe par ſit credere.

Objectionem à Georgij Cappadocis in Sedem Alexandrinam, expulſo Athanaſio, intruſione violentâ petitam occupavit Dallæus cap. ix. pag. 522. cujus reſponſioni addi poteſt Concilij Ancyrani Canon xviii. anno cccxiv. conditus.

Quæ adfert ex lib. 3. cap. lxi. & lxii. de vitâ Conſtantini Imperatoris facilè diluuntur, ſi per *Canonem Apoſtolicum*, Apoſtolorum intelligis traditionem, & per *Eccleſiaſticam Sanctionem* Canonem Nicænum xv. vel conſuetudinem ſeu uſum antiquum qui ante illud Concilium in Eccleſiâ vigebat, & tacito Chriſtianorum conſenſu pro lege habebatur, donec tan-

dem

dem à Nicœnis Patribus in Canonem fuit redactus & litteris traditus; Præterea Conſtantinus de Canonum Apoſtolicorum collectione penitus tacuit, nullumque præciſe Canonem deſignavit.

Pergit Vir Doctus, *Alexander*, inquit, *Epiſcopus Alexandrinus ad Alexandrum Epiſcopum* CP. *ſcribens, Epiſcopos aliquos, qui eos, quos ipſe excommunicaverat, in Communionem recepiſſent, criminatur, eo quod nec Apoſtolica regula id permittit*, apud Theodoretum Hiſt. Eccleſ. lib. I. cap. 4. Hæc Alexandri verba de Can. Apoſt. XII. XIII. & XVI. explicat Beveregius. Simili argumento ex aliis Veterum ſcriptis deprompto occurrit Dallæus cap. 8. Nos ad iſtud reponimus 1. nullum ab Alexandro indicari peculiarem Canonem, nullamque ab eo memorari Canonum Apoſtolicorum Syllogen, 2. Apoſtolicam illam regulam Alexandro nihil aliud eſſe quàm Canones ante Concilium Nicænum ſancitos velut Can. LIII. Concilii Eliberitani anno CCCV. celebrati, vel XVI. Concilii Arelatenſis primi anno CCCXIV. habiti, vel denique ut rem altiùs repetam Canonem illum non ſcriptum, publicoque tametſi tacito, omnium uſu ac conſenſu receptum, ſecundum quem Clerus Romanus vacante ſede poſt Hygini mortem, nempe circa annum Do-

Digitized by Google

mini CL. Marcionem ob vitiatam virginem à proprio Parente excommunicatum, in Communionem admittere recuſavit, ab Apoſtolorum Diſcipulis, ut ait Epiphanius, edoctus, *Cur me,* inquit Marcion Seniores illos alloquens, *recipere noluiſtis?* Reſponderunt illi. *Nobis injuſſu venerandi Patris tui facere iſtud non licet. Una ſiquidem fides eſt, & animorum una conſenſio: neque contra ſpectaſſimum Comminiſtrum Patrem tuum moliri quippiam poſſumus.* Apud Epiphan. Hær. XLII. pag. 302. 303. Ecce Apoſtolicum Canonem, non fictitium illum quidem aut ſpurium, ſed verum ac genuinum, ab Apoſtolis Diſcipulis ſuis traditum, & ab Apoſtolorum Diſcipulis, non ſcripto, ſed uſu ac praxi ad ſucceſſores tranſmiſſum; Nam ab Apoſtolorum Diſcipulis edocti Eccleſiæ Romanæ Seniores ſeu Preſbyteri, Marcionem à Patre excommunicatum recipere noluerunt; quia ſcilicet, hæc erat Eccleſiæ Diſciplina ut ab aliis excommunicati, ab aliis ſine excommunicantium conſenſu non admitterentur: Quid ad hæc repoſiturus ſit Beveregius non video, nullus ſiquidem ei ſupereſt tergiverſandi locus, cùm ipſe fateatur ſecundo labente & ineunte tertio à Chriſti nativitate ſeculo conſtitutos eſſe, quos cæco proſequitur amore, Canones Apoſtolicos; Epiphanii

autem narratio tempus à Viro docto præſtitutum anteceſſit. Hinc ſequitur leviſſimam eſſe nulliuſque omnino momenti quam ex verbis Alexandri Alexandrini Epiſcopi elicit concluſionem Beveregius pag.3.totam videlicet Nicænam Synodum non latuiſſe Canones iſtos Apoſt.quoniam huic Synodo interfuit poſtea Alexander: Nam ex iis quæ hactenus ſcripſimus luce meridianâ clarius patet. Alexandrum ipſum ad iſtos Canones nequaquam reſpexiſſe, nondum quippe ab impoſtore conflati erant: pertendit tamen acerrimus Canonum propugnator, eos Synodum non latuiſſe, idque ex ipſis Canonibus ab eâ conſtitutis demonſtrari poſſe Verùm nihil cauſæ eſt cur in iſtis refellendis immoremur, donec Dallæi ad hæc argumenta reſponſiones confutaverit Vir doctus.

Quæ ſequuntur initio pag.4. ejuſmodi ſunt ut vix reſponſionem mereantur argumentatur enim ex tractatu de ablutione pedum qui ſub Cypriani nomine circumfertur,quamvis probè noritCypriani non eſſe tractatum illum, ſed Arnoldi Abbatis Bonævallenſis duodecimi ſeculi Scriptoris; (ſi modo inquit, Cypriano rectè adſcribatur) dubitanter loquitur, cùm tamen Arnoldi eſſe ignorare Beveregium non pateretur Oxonienſis iſtius libri Codex manu exa-

Digitized by Google

ratus, præter alia multa quæ Cypriano illum abjudicant, & Arnoldo Bernardi æquali & amico adſcribunt.

Memorat Tertullianus lib. de Jejuniis cap. XIII. quæ præcepta agebantur per Græcias Concilia; Ut autem talia Concilia haberentur, nuſquam tunc temporis *præceptum* legimus; ait Vir doctus, præterquam Canone Apoſt. XXXVII. Mira certè Beveregii argumentatio, quaſi ab ipſis Eccleſiis præcipi non potuerint illa Concilia aliquot menſes vel etiam annum integrum, antequam celebrarentur, ut hodie fit apud Proteſtantes in Galliâ & alibi: Secundo in omnibus codicibus manu exaratis non legitur *præcepta*, ſed *præter ea*, prout legerunt ultimi Tertulliani editores. Urget tandem Vir doctus hæc ejuſdem Tertulliani verba, *ad hæreticos vetamur accedere* lib. de præſcri pt cap. XII. velut Can. Apoſt. XLV. vel LXV. indigetare voluiſſet, tamen nihil ejuſmodi cernere eſt apud Tertullianum, qui ſi aliquò reſpexit, ad iſtud Divi Pauli præceptum eum ſpectaſſe omninò eſt veriſimile. *Hæreticum hominem poſt unam & alteram admonitionem reijce: Ut qui noris everſum eſſe cum qui ſit ejuſmodi, & peccare, & qui ſuopte judicio ſit condemnatus.* Tit. 3. 10. 11.

V. Priuſquam ulteriùs progrediatur Vir

Digitized by Google

doctus duo obſervati; 1. Hoſce Canones ſub variis nominibus antiquitus cognitos fuiſſe; Sed perperam ſe torquet in inueſtigandis Canonum qui nondum conflati erant nominibus, non entium non ſunt qualitates nec nomina. 2. non 1. ſolos ſed plures antiquis hiſce Patribus innotuiſſe, adeò ut XXXV. poſteriores ejuſdem ætatis ac I. priores non immeritò cenſeantur. Verum falſiſſimam eſſe hanc propoſitionem demonſtravimus, dùm argumenta ad eam confirmandam allata, & quæ jam tantùm indicat pag. 4. diſcuſſimus ac refellimus.

Ut ut eſt arbitratur Beveregius iſtos Canones à Viris Apoſtolicis, hoc eſt, ſecundo labente & ineunte tertio à Chriſti nativitate ſeculo conſtitutos paſſim deinceps innotuiſſe, quod ſic probat pag. 4. *Hoc,* inquit, *non ex eo tantùm liquet, quod quarto demum currente ſeculo pro antiquis habiti fuerint; ſed exinde præcipuè quod ſecundâ tertiâque fluente à Verbo incarnato centuriâ, omnes vel pleroſque ſaltem (à quibus & de cæteris facile eſt conjecturam facere) in Eccleſiâ Chriſtianâ obtinuiſſe, ex Clemente Alexandrino, Origene, Tertulliano, aliiſque ejuſdem ætatis Scriptoribus & Eccleſiaſticis hiſtoriis abundè conſtet.* Verùm en imuerò utramque Viri docti propoſitionem negamus, nempe Canones à viris Apoſtolicis conſtitutos

eſſe. Et ſecundo labente & ineunte tertio à Chriſti nativitate ſeculo conditos: Nec minus falſæ ſunt quibus id adſtruere nititur rationes; Neque enim quarto demum currente ſeculo pro antiquis habiti fuerunt, ut perperam aſſerit Beveregius, neque ſecundà tertiaque fluente à Verbo incarnato centurià in Eccleſià Chriſtianâ obtinuerunt; affirmat quidem id abunde conſtare ex Veteribus quibuſdam quos deſignat Scriptoribus, at cùm nihil planè ad id probandum ex illis deſcribat, reſpondendi onere ac neceſſitate nos levat, quid autem in explicandis Canonibus ſit præſtiturus ſuo loco expendemus. Interim obſervat Vir doctus nonnullos ex hiſce Canonibus à Conciliis tunc dierum celebratis editos eſſe; ſed hæc obſervatio illius cauſam minimè juvat, non negabat Dallæus à variis Conciliis pleraque ſua accepiſſe planum & impoſtorem qui Canonum Pſeudapoſtolicorum ſyllogen conſarcinavit: at inde non ſequitur Canonum iſtorum farraginem quarto demum currente ſeculo pro antiquâ habitam eſſe, nec in Eccleſià Chriſtianâ ſecundo tertioque obtinuiſſe: Non diffiteor quaſdam in Eccleſià Chriſtianâ ſecundo & tertio ſeculo obtinuiſſe conſuetudines quæ pro legibus habebantur, immò quoſdam ſcriptos Canones, ſed aliquem extitiſſe

Canonum Eccleſiaſticorum Codicem ſecundo labente & ineunte tertio à Chriſti nativitate ſeculo collectum diſertè nego, tantùm abeſt ut tunc dierum obtinuerit Canonum Apoſtolicorum Syllogè ; Hinc liquet intempeſtivè à Beveregio ſcribi Canonem ſeptimum de Paſchalis celebritatis tempore à Conciliis Romano, Palæſtino, Pontico, Gallico, Oſroeno, aliiſque conſtitutum eſſe anno circiter CIXXXXVIII. Euſebius quidem Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 23. horum Conciliorum meminit, ſed nihil planè refert utrum ex iſtis vel ex aliis poſteriori-bus Conciliis deſumptus fuerit Canon Apoſtolorum ſeptimus ; quamuis probare nequeat Vir doctus Canonem quo de agimus ab hiſce Conciliis accepiſſe regularum iſtarum conſarcinatorem : immò veriſimilius eſt à Nicænis Patribus ſua de paſchalis celebritatis tempore mutuatum eſſe impoſtorem ; Nam ab eo tantùm tempore convenerunt inter ſe Chriſtani de celeberrimi iſtius Feſti die, cùm antea diverſis illud celebrarent diebus, alij videlicet eodem cum Judæis die, alij verò Reſurrectionis Dominicæ die : Hæc autem diverſitas nequaquam erat futura, ſi Canones Apoſtolici *Codex Canonũ Eccleſiæ primitivæ* (hoc eſt Eccleſiæ ſecundi labentis aut ineuntis vel ſaltem currentis tertii ſeculi)

Digitized by Google

meritiſſimo jure nuncupari debent, ut ait Beveregius pag. 5. Idem planè dico de Canonibus XXXXVI. & XXXXVII. à viro docto indicatis pag. 4. quorum ille hæreticorum baptiſmum non approbat, iſte verò rebaptizari præcipit ab hæreticis baptizatos: ſi enim tertio ſeculo iam adulto extitiſſet *Codex iſte Canonū Eccleſiæ primitivæ*, non eſt credibile Stephanum Pontificem Romanum hæreticos omnes ſine baptiſmo admiſſurum eſſe, & contrariam Cypriani praxim damnaturum, nec Cyprianum hûc Codicem ſilentio fuiſſe præteriturum, ut ſuam de omnibus rebaptizandis hæreticis tueretur ſententiam: Præterea Patres Concilii Arelatenſis 1. anno Dom. CCCXIV. habiti Canonem VIII. nunquam condidiſſent, eo ſiquidem decernunt ut omnes hæretici in nomine Trinitatis baptiſati ſine baptiſmo recipiantur, nullâ prorſus Codicis alicuius Canonum Eccleſiæ primitivæ mentione factâ; Inſtat Vir doctus, & Canones Apoſtolicos in unum corpus tertio demum currente ſeculo collectos eſſe contendit, iſtiſque Hinemari Rhemenſis verbis demonſtrare nititur, *Canones qui vocantur Apoſtolorum, antequam Epiſcopi Concilia liberè inciperent celebrare, à devotis quibuſque collecti*; Verùm cùm Hincmarus noni ſeculi Scriptor de re adeò antiquâ abſque alicujus vetu-

Hinem. tom. 2. Opuſc. c. 24.

vetuſtioris autoritate id proferat, illius hac de re teſtimonium contemni debet, his adde Hincmarum eodem in loco ſcribere hoſce Canones Epiſcopalium Conciliorum autoritate minimè conſtitutos eſſe, contra quàm ſentit Beveregius pag. 4. neque id ſolum; ſed ita de illis loquitur ut ab eo ferè contemptos non dubites.

Vir tamen doctus non parum ſibi gratulatur, quod ad ſuam de Canonibus Apoſtolicis vulgò dictis ſententiam quam proximè accedere opinatur Albaſpinæum Epiſcopum Aurelianenſem obſeru. li. 1. cap. 13. ubi vetuſtam hanc Canonum collectionem nihil aliud eſſe contendit, quàm *Breviarium & Epitomen privatorum Conciliorum, & rerum ab Epiſcopis privatis ſancitarum, qui Eccleſias Græcas ante Concilium Nicænum adminiſtrarunt.* Clariſſimus Dallæus hanc Doctiſſimi Albaſpinæi opinionem expendit & refellit lib. 3. cap. XXI. At quoniam nonnulla ex iis quæ contra Albaſpinæum profert argumentis, Beveregianæ ſententiæ repugnare videntur, ea paucis, ut loci inquit, ratio poſtulat, diſcutiemus, nihil ſcilicet intactum relinquet eruditiſſimus Canonum Apoſtolicorum Patronus, ut Dallæi argumenta confutet, hancque Canonum Syllogen, *Codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ* fuiſſe euincat; Sed priuſ- VI.

Digitized by Google

quam Beveregii rationes accuratiùs excutiantur, quædam adnotanda mihi videntur, 1. Dallæus fatetur pag. 670. Albaſpinæi ſententiam proximè ad verum accedere, ſi ipſam Canonum Apoſtolicorum *materiam*, ſeorſim ab eâ formâ, quam in hac Sylloge habet, ſumptam nudè, ſimpliciterque ſpectemus: quia apparet plurima ac ferè omnia, ex quibus hæc Sylloge conſtat, decreta, ſi per ſe ſingula conſiderentur, variis temporibus, aliis alia ſœculis & locis, toto quatuor primorum ſœculorum decurſu in Orientali Eccleſiâ facta fuiſſe, ut optimè demonſtrant argumenta ab Albaſpinæo allata. 2. Albaſpinæi obſervationi illud quoque adjecit Dallæus, videri & ex Antiocheno Concilio deſumptos non paucos hujus Apoſtolicæ farraginis Canones, ut alteros cum alteris conferenti liquebit. 3. Et-ſi Dallæo cum Albaſpinæo eo uſque non malè conveniat, non autem cum Beveregio, qui hoſce Canones quotquot ſunt tertio demum currente ſeculo in unum corpus collectos perperam affirmat; in eo tamen ab Albaſpinæo diſſentit Dallæus, quod cum eo fateri non poteſt omnia quæ in his Canonibus habentur, ex privatis Græcorum, ſive Conciliorum, ſive Epiſcoporum actis decretiſque ſumpta fuiſſe. Opi-

Digitized by Google

nionis ſuæ iſtam adfert rationem, quædam videlicet in his legi, quæ ab omnis Græcanicæ Eccleſiæ, præſertim ante Nicænam Synodum Doctrinâ ſic abhorrent, ut non ſit veriſimile, ea unquam ab ullo Græcorum Catholicorum ſive Concilio, ſive Epiſcopo, fuiſſe tradita; Exemplum profert ex Can. LXXXV. quo decernitur tres Maccabaicos, & octo Conſtitutionum Apoſtolicarum libros inter Canonicos eſſe recenſendos, Dallæus autem de hoc Decreto verba faciens ſic loquitur, *Quis enim quæſo Vetuſtiorum, non dico Latinorum, Sed & Græcorum Patrum, tertium librum Maccabaicum in ſacrum veteris Teſtamenti, vel Clementinarum Conſtitutionum octo volumina in Novi Canonem ante hujus Sylloges patrem retulerat,*

Reſpondet Beveregius pag. 5. primò quod ad libros Maccabaicos ſpectat, in antiquiſſimâ Græcâ Canonum collectione à Joanne Antiocheno elaboratâ tit. 1. ubi hic Canon extat, nullam omnino librorum Maccabaicorum mentionem occurrere, unde colligit libros iſtos in recentioribus horum Canonum editionibus, aliâ quàm primorum conditorum manu inſertos videri; Ego verò Beveregii concluſionem nego, eo magis quod in verſione Latinâ Collectionis Joa. Anthiocheni numerantur tres

Digitized by Google

libri Maccabaici : nec eſt quod editorum incuriam arguat Vir doctus in Canonem LXXXV. pag. 39. quaſi eorum negligentiâ ac ſupinitate in Latinam verſionem irrepſerint : Veriſimilius enim eſt in Græco quodam Codice manu exarato ita legiſſe editores & interpretes, alioquin hac de re lectorem erant m[illegible]ituri ; niſi malis dicere Joh. Antiochenum libros Maccabaicos in ſuâ collectione de induſtriâ omiſiſſe, quoniam in Eccleſiæ Græcæ ſcripturarum Canone illius ætate non extabant, ut liquet ex Canone quem exhibet Leontius Joh. Antiocheni ut quibuſdam placet æqualis vel ſuppar de Sectis act. 2. tom. XI. Bibl. Pat. pag. 496. *Quid autem*, ait Vir doctus, *ſi concedamus tres Maccabaicos libros dicto Canoni ab initio inſertos fuiſſe? Hoccine probando eſſet, hos Canones nec ante Concilium Nicænum conſtitutos eſſe? nihil minus.* Immo optimè probatur ; Nam ſi tertio currente ſeculo in unum corpus collecti ſunt omnes iſti Canones ut tradit Beveregius, quomodo factum eſt ut libri Maccabaici omiſſi ſint in Canonicorum Veteris Teſtamenti librorum catalogis ante & poſt Concilium Nicænum contextis, ut fatetur ipſe Canonum propugnator? Certè vix eſt credibile eos in ſuis catalogis omiſſuros eſſe Gregorium Nazianzenum,

Amphilochium, Athanaſium, Epiphanium, qui poſt Concilium Nicænum Scripſerunt, necnon Synodum Laodicenam Nicænâ pluribus annis poſteriorem, ſi tunc dierum extitiſſet Canonum Apoſtolicorum farrago, quam *Codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ* indigetare non veretur Beveregius. Hiſce diffidens ſolutionibus Vir doctus aliò confugit, obſervatque in duobus antiquiſſimis verſionis τῶν ó. MSS. tres Maccabaicos, inter reliquos Veteris Teſtamenti libros recenſeri, ſaltem in Vaticano Codice ante mille ducentos annos, ut putat, exarato, in altero verò qui in Angliâ aſſervatur, quique Vaticanum annis æquat ſaltem ſi non ſuperat, tertius Maccabaicorum reliquis Veteris Teſtamenti libris ſubnectitur, quibus, inquit, ſuffragantur, non tantùm editiones Veneta & Complutenſis, ſed & antiqua Syriaca verſio, quâ ſic inſcribitur, item liber tertius Maccabæorum. Verùm iſta Beveregii cauſam minimè juvant, cùm enim proximo alterove poſt conceſſum Nicænum ſeculo exarati ſint illi Codices, fatente ipſo Dallæi adverſario, Dallæani argumenti vim nequaquam eleuant Beveregianæ obſervationes, quando hoc ſolum oſtendere aggreſſus eſt Dallæus, Canones ſcilicet Apoſtolicos non ante Synodum Nicænam ſanci-

tos eſſe: Tamen veri prorſus diſſimilliſſimum arbitratur Beveregius, tres Maccabaicos inter Canonicos V. T. libros in illis Codicibus recenſeri, niſi ante illam Synodum in eorum cenſum alicubi relati fuiſſent; Ego contrarium planè colligo ex eo quod ab Eccleſiaſticis Scriptoribus Synodo Nicænâ vetuſtioribus Maccabaici inter Canonicos V. T. libros nuſquam numerati ſunt: Prætereà fruſtra antiquos illos verſionis τῶν ό. Manu exaratos Codices urget Vir doctus, cùm liquido conſtet Maccabæorum libros ab Eccleſiâ Judaicâ pro Canonicis nunquam habitos, ſed ad Scripta Apocrypha amandatos, ut tradunt Veteres. Præſertim Hieronymus cujus ætate extra Canonicorum cenſum rejiciebantur Maccabaici libri, tertius imprimis, neque id ſolum, ſed ipſe Gregorius Papa primus li. 19. in Job. cap. 13. initio diſertè teſtatur libros illos non eſſe Canonicos. Origines pergit Beveregius, tres Maccabæorum reliquis ſacræ Scripturæ libris non obſcurè ſubjungere videtur, quod probat quibuſdam illius verbis apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 25. ubi Origines poſt enumeratos Canonicos omnes V. T. libros, addit juxta Valeſii verſionem; *Extra horum cenſum ſunt libri Maccabæorum qui inſcribuntur Sarbet Sarbane el.* Hinc ſequi putat Vir

doctus tres Maccabæorum libros ab Origene deſignari; Tamen ſi accuratè perpendantur Origenis verba, non magis de tribus quam de duobus eum loquutum eſſe apparebit, τὰ μακκαβαϊκὰ enim de duobus æquè ac de tribus explicari poſſunt. Præterea perinde eſt ſi tres aut duos numeras, quando Maccabaici omnes libri extra Canonicorum claſſem & ordinem ab Origene recenſentur, laudant Maccabæorum libros, ſi Beveregium audimus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, & alii ejuſdem ætatis Scriptores; Verùm eos laudant ut alia Scripta Apocrypha, ex quibus plura ſubinde deſcribunt teſtimonia; falſum eſt igitur Maccabæorum libros vinginti duobus Hebraicis tunc temporis tanquam Canonicos fuiſſe ſubjunctos, nonnullis quidem in locis duos, in aliis tres: nec obſtat quod Scripturæ Canon nondum exactè determinatus erat. Quamvis enim ab his plures, ab illis pauciores libri Canonici numerentur, in eo tamen convenerunt omnes antiqui Scriptores ante & poſt Concilium Nicænum, quod Maccabæorum libros, tertium præſertim à Canonicorum cenſu eliminarunt.

Accedo ad octo Clementinarum Conſtitutionum volumina, ex quibus contra antiquitatem horum Canonum diſputat Dal-

Digitized by Google

læus; Dallæum arguit Beveregius, ac ſi quæ hodie ſub Apoſtolicarum Conſtitutionum nomine circum feruntur ; cum iis confunderet quæ Epiphanii temporibus extabant: Sed Dallæi mentem non percepit nón ita diſputat Dallæus, ut pote qui fuſiſſimè probavit lib. 1. de Pſeudepig. Apoſtol. cap. 2. longè diverſas eſſe hodiernas Conſtitutiones, ab iis quæ Epiphanii ævo legebantur. Hoc ſolum vult Clariſſimus Dallæus, Cōſtitutiones illas ſive hodiernas ſive Epiphanianas à nemine ante Concilium Nicænum in Canonem Scripturæ relatas eſſe, unde colligit poſt illa tempora vixiſſe Canonum Apoſtolicorum Conſarcinatorem. Unus Epiphanius circa annum Domini CCCLXXV. Clementinas Conſtitutiones aliquâ cum laude nominavit, ante eum nemo ; His adde Epiphanium ipſum diſertè teſtari in verbis à Viro docto allatis, opus illud dubiæ apud multos eſſe fidei, etſi illud non improbandum putet ; At neque Epiphanius qui poſt Synodum Nicænam claruit, neque alius quiſquam Synodo vetuſtior octo Conſtitutionum libros inter Canonicos recenſuit, fruſtra igitur ex Epiphanii verbis, liquere opinatur Beveregius, Conſtitutiones illas ab Epiphanio laudatas Summæ tunc temporis in Eccleſiâ autoritatis fuiſſe : Siccine libri dubiæ, incertæ

ac

ac controverſæ fidei apud quarti ſeculi Chriſtianos ſummæ fuerint autoritatis ? Cōſtitutionum opus negat Epiphanius eſſe *ἀδόκιμον*, *reprobum*, ſive *reprobatum*; ſed inde non ſequitur ſummæ fuiſſe autoritatis, non ignorat acerrimus Canonum Vindex libros *ἀντιλεγομένους* & quibus contradicitur extra Canonicorum cenſum à Veteribus recenſitos eſſe : Laudat quidem Epiphanius quod in *eo opere contineretur omnis ordo Canonicus, nihil in eſſet vel à fide vel à Diſciplinâ Eccleſiæ alienum.* At non ideò fit (aiebat Dallæus lib. 1. cap. 2. pag. 37.) ut libros à Clemente verè ſcriptos, verèque ab Apoſtolis inſtituta dictataque, quæcunque in illis narrantur, fuiſſe crediderit. Multis enim libris nihil in eſt vel à fide vel à Diſciplinâ Eccleſiæ alienum, quos non id circo dixeris vel Clementinos, vel Apoſtolicos : Sed concedamus erudito Beveregio, vel certè donemus fuiſſe in eâ ſententiâ Epiphanium, ut exiſtimaverit ſuarum illarum Diataxeōn verè authores, ſcriptoreſque fuiſſe Apoſtolos, quorum nomen præferebant, non ideò confeceris, vel id verum eſſe, vel ſaltem idem ſenſiſſe Græcam illius temporis Eccleſiam. Immò contrarium tradit ipſe, multos videlicet de illo Conſtitutionum opere dubitaſſe : jam autem iniquum eſſet unum mul-

tis præferri: Prætereà hoc probandum ſuſcepit Dallæus, hos Canones non ante Synodum Nicænam ſancitos eſſe, ut contrarium adſtruat Beveregius Epiphanium, qui 1. poſt Synodum annis ſcribebat in medium profert, nullumque Scriptorem Epiphanio antiquiorem laudare potuit, qui Maccabaicos libros & Clementinas Conſtitutiones in Scripturæ Canonem referret, quod Dallæo firmo fuit argumento ab impoſtore poſt Synodum Nicænam conflatum eſſe, qui aliter decernit, LXXXV. Apoſtolicum Canonem. Nec cautè egit Dallæus, ut Beveregius, quia duarum Clementis Epiſtolarum ad Corinthios non meminit, tametſi in Canonem N. T. eodem in loco referantur, æquè ac Conſtitutiones Apoſtolicæ: ita agendum eſſe arbitratus eſt Dallæus, quoniam abundè ſufficiebant quæ annotavit ad demonſtrandum Synodo Nicænâ recentiorem eſſe Apoſtolicum de quo lis eſt Canonem; Nec quicquam cauſæ eſt cur ſcribat primam Clementis Epiſtolam ad Corinthios in pleriſque Eccleſiis publicè lectam fuiſſe: Hinc enim non ſequitur in Canonicorum librorum cenſu fuiſſe; aliter eadem planè ratione idem concluderes de Polycarpi Epiſtolâ, de libro Hermæ, de quadam Soteris Epiſcopi Rom. Epiſtolâ, & de Ephræmi Edeſ-

apud Hieron. in catal & Euſeb. Hiſt l. 4. c. 23.

ſenæ Eccleſiæ ſcriptis quæ publicè etiam legebantur in quibuſdam Eccleſiis. Denique tandem altera Clementis Epiſtola à Veteribus ut ſpuria ſemper reprobata fuit, cõtra quam decernit Apoſtolicus Canon.

Tranſit Beveregius à Dallæanis ex ipsâ horum Canonum materiâ contra ipſorum antiquitatem ductis argumẽtis, ad ea quæ ex eorum formâ objiciuntur. Verùm pace Viri docti dictum ſit, non omnia Dallęi argumenta ex Canonum materia deſumpta expendit, ſed ea tantùm quæ cap. 21. contra ipſorum antiquitatẽ adduxit: Tamen quãdo Dallæi ſententiam de iſtorum Canonum antiquitate confutare ſibi propoſuit Eruditus Beveregius, omnia adverſarij argumenta quæ plura ſunt numero, & quibus ex ipſis Canonibus ipſorum arguere ac demõſtrare ſuſcepit novitatem, examinare ac refellere debebat; At quoniam veritus eſt ne incaſſum laboraret, neve oleum perderet ac operam, unicum Dallæi argumẽtum ex Canonum materiâ depromptum, infauſtis licet avibus, refutaſſe contentus, cætera labori parcens intacta reliquit, ut ſcilicet victoriam quam facilem falsò putabat ſibi compararet, ſed à quâ eum longè abeſſe, cauſâque hactenus cecidiſſe non dubito. Verùm felicius fortè procedet Beveregij ratiocinatio in diſcu- VII.

Digitized by Google

tiendis quæ ex Canonum formâ petuntur objectionibus, & ut rem facilius exſequatur, Albaſpinæi primò, deinde ſuam de his Canonibus ſententiam profert, Dallæumque contra illam ſic diſputantem exhibet. *Si res ita ſe haberet, omnino hanc ſyllogen Codici Canonum Eccleſiæ univerſalis ejus authores inſerviſſent; immò primo Codicis loco poſuiſſent, velut & à Viris Apoſtolicis exortum, & ipsâ antiquiſſimi temporis vetuſtate venerabile monumentum.* Hanc Dallæi objectionem ridet Beveregius, aſſeritque æquè facile eſſe eam refellere ac recitare; magno tamē circuitu illius aggreditur refutationem; ſtatim obſervat Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ à Canonibus Nicænis incipere, nec quoſlibet antea conſtitutos Canones complecti, præter Ancyranos & Neocæſarienſes, quos etiam à Cōcilio Nicæno confirmatos fuiſſe tradit, idque Synodi Florentinæ authoritate; Vnde colligit mirum videri non debere ſi Canones quibus de agimus, illi Codici minimè inſerti fuerint, quoniam auctori dicti Codicis propoſitum fuit eos ſolos Canones colligere, qui vel à Nicænâ Synodo cōfirmati ſunt, vel poſt eam conſtituti, non autem vetuſtiores iſtos Apoſtolicos multis annis antea ſancitos. Quæ dicebat Vir doctus de Dallæi objectione, illius ſolutioni apprimè

congruunt; in quâ ſcilicet omnia leviſsima ſunt, nulliuſque ponderis: Vnde quæſo habet Beveregius auctori Codicis propoſitum fuiſſe eos ſolos Canones colligere, qui vel à Nicænâ Synodo confirmati ſunt, vel poſt eam conſtituti? Edat vel unum vetuſtum Scriptorem qui hoc teſtetur, & cujus teſtimonium omni ſit exceptione majus? Cum autem nullum planè proferat, & de ſuo tantũ hoc affirmet, non ægrè laturum illum puto, ſi à nobis eadem quâ profertur facilitate contemnatur; nec meliora ſunt quæ tradit de Canonum Ancyranorum & Neocæſarienſium à Nicænâ Synodo confirmatione; nulla ſiquidem hujuſce confirmationis extat mentio in Synodi Florentinæ ſeſsione ſeptimâ quam citat; En Synodi verba, *Ante primam Synodum multæ aliæ celebratæ ſunt: Antiochiæ adverſus Paulum Samoſatenum: Ancyræ contra eos, qui non ſuſcipiebant accedentes ad fidem, quod prius Chriſtum abnegaſſent propter tormenta: & Neocæſareæ tertia: quas omnes Synodos recepit Synodus Nicæna.* Synodos illas admiſit Concilium Nicænum, ab eo confirmatas eſſe non dicitur, & ſi ob id tantùm Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ inſerti ſunt Canones Ancyrani & Neocæſarienſes, quia à Synodo Nicæna recepti ſunt, eadem planè ratione inſerendi erant Sar-

Digitized by Google

dicenſes à ſecundâ Synodo Oecumenicâ, ſi iiſdē Florentinis Patribus credimus, ſuſcepti, quamvis hallucinatos eſſe Florentinos Patres non dubitem, non enim de Sardicenſi Synodo loquuntur Conſtantinopolitani Patres Can. V. ut opinabantur Florentini, ſed de Antiochenâ anno Domini CCCLXXVIII. habitâ, in quâ lectus eſt Tomus Occidentalium, Epiſtola ſcilicet Synodica Damaſi Papæ ante paucos annos ſcripta, cui ſubſcripſerunt Epiſcopi Orientales num. 146. ſed donemus Beveregio Canones Ancyranos & Neocæſarienſes à Synodo Nicænâ ſecundum Florentinos Patres fuiſſe confirmatos, nihil propterea proficiet: Synodus quippe Florentina nimis recens eſt ut de re adeò antiquâ ſine vetuſtioris authoritate teſtari queat, cenſit & tredecim annos ſupra mille poſt conſeſſum Nicænū, præſertim cùm nihil ejuſmodi occurrat in antiquis Eccleſiæ Scriptoribus, nec in ipſo Canonum Eccleſiæ univerſæ Codice; immò cōtrarium ex ipſo Codice colligitur, hic enim titulus Ancyranis præfixus eſt Canonibus, CONCILII ANCYRANI CANONES XXV. *Qui quidem priores ſunt Nicænis, ſed ideò poſtpoſiti ſunt propter authoritatem Synodi Oecumenicæ.* Si à Synodo Nicænâ confirmati fuiſſent, lectorem hac de re moniturum eſſe

collectorem par eſt credere; idem dico de Canonibus Neocæſarienſibus hoc titulo prænotatis. CONCILII NEOCÆSARIENSIS CANONES XIV. *Qui quidem ſunt Ancyranis poſteriores, Nicænis verò antiquiores.* Pergit eruditiſſimus Beveregius aitque Codicem ſuum Canonū Eccleſiæ primitivæ (hoc eſt Canonum Apoſtolicorū Syllogen) diu in Eccleſiâ ſeorſim jam obtinuiſſe, ac proinde non opus eſſe, ut Canones in eo comprehenſi de novo colligerentur, multo minus ut antiquus iſte Codex novo conjungeretur, qui non eo nomine compoſitus fuit ut antiquam, ſed tantùm ut præſentem Eccleſiæ diſciplinam exhiberet, eam nimitum quæ à Conciliis nuper celebratis conſtituta eſt. At quàm ſit frivola hæc ſecunda Viri docti ratiocinatio, ex ſequentibus patebit obſervationibus: 1. Pro conceſſo & pro vero ſibi ſumit, quod nos negamus, nempe antiquiſſimam eſſe Canonum Apoſtolicorum collectionem, quam Codicem Canonum Eccleſiæ primitivæ nuncupare amat; etiam ſi tantam illius vetuſtatem nondum probaverit: 2. Æquè falſum eſt quod innuit, Canones videlicet Apoſtolicos ad Eccleſiæ diſciplinam Synodo Nicænâ antiquiorem ſpectare tantùm; plures tamen ex illis Canonibus ad diſciplinam quæ longè poſt Concilium Nicænum in

Ecceleſiâ obtinebat pertinere non dubitabit, qui eos accuratè legerit. 3. Nulla igitur adferri poteſt idonea cauſa ob quam Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ inſerti ſunt Canones Ancyrani & Neocæſarienſes, Apoſtolici nequaquam, præter iſtam quod ſcilicet nundum conficti erant Canones Pſeudapoſtolici & in unum corpus collecti. 4. Denique ſi collectores Canonum Eccleſiæ univerſæ, collectioni ſuæ inſerere noluiſſent, hunc *Canonum Eccleſiæ primitivæ Codicem*, ut illum indigetat Beveregius, vel ut loquitur Albaſpinæus hoc *Breviarium ac Epitomen Eccleſiaſticorum ante Nicænam Synodum apud Græcos Decretorum*: Alicubi ſaltem honorificam illius mentionem erant facturi, ne adeo venerandum antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentum ab illis contemptum videretur; quod cùm nullibi fecerint, certo certius eſt eis prorſus incognitam fuiſſe hanc Canonum Apoſtolicorum Syllogen: In Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, inquit, nullum è decretis, quæ ſub Cypriano aliiſque vetuſtioribus Africæ Conciliis divulgata fuerant, continetur, fortè, immò contrarium planè liquet ex Epiſtolis Cypriani in quibus cernere eſt eadem adverſus Tranſmarinas appellationes decreta quæ in Codice leguntur Africano præterea

reà veriſimile eſt plura iſtiuſmodi decreta ſuo Codici inſerturos eſſe Patres Africanos, ſi in Prædeceſſorum ſcriptis frequentiora occurriſſent, vel ſi extitiſſet in Eccleſiis Africanis Codex alius vetuſtior, eum commemorare dubio procul illos non piguiſſet.

Ad aliud Dallæi argumentum properat Beveregius, quod iſtis exhibet verbis: *Tum ſiquis extitiſſet hujuſmodi Codex, cur nunquam eum diſertè ac nominatim memorant Ancyrani, Nicæni, Neocæſarienſes, Antiocheni, aliique Patres?* Huic argumento reſpondet Vir Doctus, primum Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ collectum fuiſſe ante Concilium Epheſinum, à quo tamen, nuſpiam memoratur; negat tamen inde ſequi dictum Codicem tunc temporis non extitiſſe: Eſto, non hinc ſequatur tunc dierum non extitiſſe, ſequetur ſaltem vel adhuc incognitum eſſe, vel nullam illius memorandi ſe obtuliſſe occaſionem; quæ addit ut oſtendat memoratos eſſe à Veteribus Apoſtolicos Canones alibi excuſſimus, ideoque non eſt quod diutius immoremur in iſtis refellendis quæ adduxit Beveregius pag. 6. num. XX. VIII.

Dallæus, inquit, interrogativum hoc argumentum ulterius ſic proſequitur. *Cur non interdum aliquem ex iſtius Codicis Ca-*

nonibus indicato ac nominato numero, ſub quo in eo poſitus extat, citarunt ac laudarunt? Verbi gratia hoc modo; Decernit Canon Apoſtolorũ primus, vel triceſimus, vel quinquageſimus, &c. Sicuti à Patribus Chalcedonenſibus in Codice Eccleſiæ univerſalis uſurpatum eſt; quo ſcilicet Codicis Canonem quartum, octogeſimum tertium, quartumque, & nonageſimum quintum, ſextumque his diſertè numeris expreſſis, laudaſſe ac deſcripſiſſe nuper demonſtravimus. Hactenus Dallæus cujus agnoſco verba; Jam Beveregii reſponſum expendamus; quæ dicit de Concilio Epheſino mox diluimus, nec firmiora ſunt quæ addit de Concilio Chalcedonenſi hoc pacto, *Si Patres Chalcedonenſes dictum Codicem nuſpiam ita laudaſſent, hocce argumento eſſet, eum tunc temporis non extitiſſe? Quid etiam ſi Acta Concilii Chalcedonenſis periiſſent, iſtum quoque Codicem unà perijſſe neceſſe eſt? Sanè nec Concilium Chalcedonenſe ſupradictum Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ, in Canonibus ſuis, ſed tantùm in Actis citat.* Hæc ambiguè dicuntur, quandoquidem enim ex conceſſione Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ ante Concilium Chalcedonenſe compoſitus eſt, ex Concilii ſilentio non ſequeretur quidem tunc temporis non extitiſſe Codicem illum, at ſaltem ſequeretur vel Patribus in-

cognitum fuiſſe, vel nullam illis datam fuiſſe eum memorandi occaſionem: Canonum autem Apoſtolicorum Syllogen quod ſpectat, à Nicænis, Ancyranis, Neocæſarienſibus, Gangrenſibus, Antiochenis, Laodicenis, Conſtantinopolitanis, Epheſinis, & Chalcedonenſibus, nunquam diſertè ac nominatim memoratur, etiamſi pluries eam memorandi occurrerit occaſio, unde ſequitur neceſſariò vel nondum conflatam eſſe, vel ſaltem in latebris delituiſſe, adeò ut penitus incognita fuerit: Si autem ex Actorum Concilii Chalcedonenſis jacturâ, non ſequitur unà periiſſe Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ, ex eo tamen quod in illis Actis memoratur iſte Codex, ſequitur tunc temporis extitiſſe, quod de Canonum Apoſtolicorum Sylloge dici nequit; In Canonibus Ancyranis, Neocæſarienſibus, Anthiochenis, &c. Si Virum doctum audimus, Canones *Eccleſiæ primitivæ*, æquè diſertè citantur, ac *Eccleſiæ univerſæ*, in Chalcedonenſibus; At contrarium evicimus, vel evicerat ante nos Dallæus cujus argumentis nihil prorſùs reposuit Beveregius. *Si Acta dictorum Conciliorum* (pergit Vir Doctus) *non minus quàm Chalcedonenſis etiamnum extarent, in iis forſitan antiquiſſimum hunc Codicem indicato ac nominato Canonum numero lau-*

datum inveniremus, non ſecus ac Canones Eccleſiæ univerſæ in Actis Chalcedonenſibus. Profectò ſi ſic argumentari liceat, nihil certi remanebit in antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentis: Omnia ſiquidem voce *forſitan* incerta reddes; nec ubi conſiſtas habebis; Scilicet diſertiùs ſe victum fateri non poterat eruditus Beveregius, quàm ita argumentando.

Eum tamen ultimum Dallæi Argumentum ſic proponentem audiamus, *Denique hunc Apoſtolicum Codicem (ſi is verè tum fuiſſet habitus pro Breviario) quis Gelaſium ſapientiſſimum, ut ferunt, Antiſtitem, quis Epiſcopos Romani Concilii ſeptuaginta, inter Apocrypha procul ab Eccleſiaſticis libris rejecturos fuiſſe crediderit.* Reſpondet Beveregius primò incertum eſſe, utrum hæc verba, *Liber Canonum Apoſtolorum Apocryphus*, in Gelaſii decreto, ut ab ipſo & 70. Epiſcopis edito, lecta fuerint necne. Secundò nihil aliud confici ex illis Decreti verbis, præterquam eundem à Romanâ Eccleſiâ tunc temporis non receptum fuiſſe, & Apoſtolorum nomen ei falsò impoſitum. Utramque objectionem diluimus adverſus doctiſſimum Pearſonium diſputando, ideoque eas miſſas hîc facimus, ne actum agere videamur: Inſuper mirari deſinat Beveregius, quo tandem fato talia

Dallæo exciderint; Dei enim providentiâ factum eſt, ut Vir tantus hoc argumentum tractandum ſuſciperet, ne ſcilicet deinceps aliquod in hiſce fictitiis Canonibus præſidium quærerent acerrimi Eccleſiaſticæ Hierarchiæ propugnatores, nec quicquam hactenus adduxit Beveregius, quo Dallæi de Canonum iſtorum antiquitate ſententia, vel minimum convulſa nedum labefactata fuerit.

Unum adhuc illi ſupereſſe videtur, ut ipſius videlicet Dallæi de tempore quo collecti ſunt hi Canones, ſententiam paucis expendat; hanc, inquit, ipſe profert eodem capite, pag. 685. his verbis conceptam. *Denique ſi de tempore quæratur, quo pſeud-apoſtolica illa, & apocrypha Canonum collectio facta & edita primum fuerit, apparet ex iis quæ hactenus diſputata ſunt, eam neque ante quintum ſeculum adultum innotuiſſe, & quinto exeunte jam extitiſſe publicarique cæptam eſſe.* Poſteà obſervat idem Beveregius Dallæum priorem hujus ſententiæ ſuæ partem, quâ hanc collectionem non ante quintum ſeculum adultum innotuiſſe ſtatuit, non probare tantùm, ſed & demonſtrare poſſe ſibi videri; nempe verbis quæ mox deſcripſimus, iſta continenter ſubjicit Dallæus; *Prius demonſtrat univerſale omnium qui ante A. D.* CCCCLI. *vixerunt de* IX.

ea ſilentium, quod abundè ſupra demonſtratum eſt. Neque enim credibile eſt, nullam ejus mentionem, ſi extitiſſet, facturos fuiſſe Euſebium, Hieronymum, & alios illorum temporum eruditiſſimos ſcriptores, qui etiam ea, quæ Apocrypha judicabant, præcipuè quæ Apoſtolis affiсta erant, diligenter perſequi, & refellere ſolent. Videamus jam quid hiſce reponat doctiſſimus Beveregius, dicit primò, falſum eſſe quod hîc pro conceſſo aſſumit Dallæus, omnès nimirum qui ante A. D. CCCCLI. vixerunt, de hac collectione ſiluiſſe, multo magis eum hoc abunde demonſtrâſſe, ut ex iis, inquit, quæ ſuperiùs diſputavimus, apparet. Nos argumenta Beveregii excuſſimus ac refellimus, nihilque ex variis quæ deſcripſit teſtimoniis, ad confirmandam ſuorum Canonum antiquitatem, colligi poſſe fusè probavimus, vel à Dallæo ipſo probatum indicavimus. Ratiocinationem ſuam ſic proſequitur Vir doctus, *ſi illud verum eſſet, minime probaret, nedum demonſtraret hos Canones ante annum* CCCCLI. *non extitiſſe. Neque enim Euſebius nec Hieronymus nec alii, quos ſcimus, ejuſdem ætatis cum utrovis ſcriptores, Canones Ancyranos aut Neocæſarienſes commemorarunt, quos tamen ante dictum annum conſtitutos eſſe ac divulgatos, inter omnes convenit.* Si res ut pareſt perpendiſſet eru-

ditus Beveregius , non ita argumentatus eſſet ; Ingens ſiquidem eſt diſcrimen ; non enim paria sũtquæ deCanonibusAncyranis & Neocæſarienſibus obſervat , cum iis quæ obſervat Dallæus de Apoſtolicis ; ſi Ancyrani & Neocæſarienſes Canones , Euſebii vel Hieronymi aliorumque illorum temporum Scriptorum ætate , publico cuidam Canonum Eccleſiæ Codici inſerti fuiſſent, non dubitandum quin ab illis eſſent commemorandi , ſaltem Codicis cui inſerti fuiſſent, aliquam feciſſent mentionem ; At nondum in Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ relati erant ; non mirum igitur ſi Canonum iſtorum qui in localibus ac particularibus Synodis ſanciti erant , & qui ad paucorum adhuc notitiam pervenerant, non meminerunt. Verùm alia fuit Canonum Apoſtolicorum ſors atque fortuna; Nam ſi Viro docto credimus ante Synodum Nicænam in unum corpus ab Apoſtolicis viris collecti ſunt , & Codicem Canonum *Eccleſiæ primitivæ* conſtituerunt ; Quomodo ergo fieri potuit ut Euſebium, Hieronymum , alioſque ejuſdem ætatis eruditiſſimos ſcriptores latuerit adeò venerandum ſuâ vetuſtate monumentum; Nam ſi cognitus illis fuiſſet iſtiuſmodi Codex,illos allicubi eum memoraturos eſſe eſt pluſquam veriſimile ; Ex eo autem quod

nullibi id præſtiterint, legitimè colliges nullum tunc dierum extitiſſe talem Codicem: in deſuetudinem abjiſſe iſtos Canones, & alios eorum loco generalium Synodorum authoritate ſubſtitutos hariolatur Beveregius: At unde hæc habet, edat Auctorem à quo accepit, & quando nullum profert neque proferre poteſt adeò temerariæ aſſertionis idoneum teſtem, exſufflandæ ſunt vaniſſimæ Viri docti conjecturæ, quæ à præconceptâ opinione, & immoderato cauſæ ſtudio proficiſcuntur. Siccine in deſuetudinem abjerant hi Canones Euſebij ætate, ut eorum memoria penitus interciderit? Euſebij inquam, qui Synodo interfuit Nicenæ cujus tempore obtinebat adhuc juxta Beveregij ſupputationem, Codex iſte Canonum *Eccleſiæ primitivæ*: Profecto hæc ſunt ſuavia vigilantium ſomnia. Neque fortè meliora ſunt quæ ſequuntur; *Vltimò*, inquit, *etiamſi Euſebius, Hieronymus, alijque eruditiſſimi Scriptores ea quæ Apocrypha judicabant; præcipuè quæ Apoſtolis afficta erant, diligenter perſequi ac refellere conſueti ſunt, non tamen neceſſe eſt, ut de his etiam Canonibus meminerint: nam nullus Turrianus, nullus Bovius adhuc exortus erat, qui eos ipſis Apoſtolis affingebat. Et quid illis opus erat opinionem oppugnare, quæ nullos adhuc propugnatores habebat? vel probare*

bare hos Canones Apoſtolis falsò adſcriptos eſſe, cùm nemo illud aſſereret.

Non poſſum ſatis mirari hæc tanto Viro excidiſſe; Omnem enim culpam in Turrianum & Bovium rejicit, quaſi primi hoſce Canones Apoſtolis affinxiſſent, fateor graviter peccaſſe Bovium & Turrianum, dum Canones iſtos ab ipſis Apoſtolis conditos eſſe acerrimè contenderunt; At in eo primi non peccarunt, quod eorum nomine prænotatos eſſe voluerunt, non enim ex ſeipſis hanc Canonibus nomenclaturam præfixerunt, nec eam propriò marte excogitarunt, ſed ab ipſis Canonum collectoribus eam mutuo acceperunt; Nam quicunque ſint, qui hos Canones collegerunt, eorum certè mens fuit, ut verè ab Apoſtolis omnes conditi atque editi crederentur, & hic, qui eos continet Codex, ab ipſis Apoſtolis factus, digeſtus, conſcriptuſque & promulgatus cenſeretur; Et ne putes hæc à nobis gratis fingi, ipſos conſulamus Canones ex quibus liquido conſtabit, veriſſima eſſe quæ aſſerimus; Canon verbi gratia XXIX. editionis Beveregianæ contra Simoniacos, Petrum ex authorum ſuorum numero unum fuiſſe diſertè teſtatur, adeoque Petri Collegas, unaque cum iis ipſum Petrum, hoc eſt omnes Apoſtolos authores ſe habere docet.

Si quis Epiſcopus, per pecunias hanc ſit dignitatem aſſecutus, vel Presbiter, vel Diaconus, deponatur, & ipſe, & qui eum ordinavit, & à communione etiam omnino exſcindatur, UT SIMON MAGUS à ME PETRO. idipſum profitetur Canon L. in Dionyſii verſione: *Non enim dixit* NOBIS *Dominus, in morte meâ baptizate, ſed euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Idem planè colligitur ex Canone LXXXII. ubi de ſervo ſermo eſt ad miniſterij Eccleſiaſtici gradum idoneo *qualis*, inquiunt, *noſter quoque Oneſimus viſus eſt*, non alium intelligunt Oneſimum, quàm Philemonis fugitivum, Pauli diſcipulum. Denique nequis ſuperſit dubitandi locus, Apoſtolos ſe diſertè vocant Canone ultimo, dum Actus Apoſtolorum quos in divinum poſt Clementinas Conſtitutiones referunt Canonem, ſic deſcribunt, καὶ αἱ πράξεις ἡμῶν τῶν Ἀποςόλων, *& Actus noſtri Apoſtolorum.* Perperam autem queritur Vir doctus p. 20. 39. adjectum eſſe ab interpolatore quodem pronomen ἐμοῦ in Can. XXII. ubi de Petro agitur, non ſecus ac ἡμέτερος in LXXXII. ubi de Oneſimo, cum hæc ſit conſtans Codicum ferè omnium lectio. Jam quivis videt non parùm hallucinatum eſſe Beveregium dum Turriano & Bovio imputavit, quod morta-

ſium primi Canones iſtos Apoſtolis adſcripſerunt, cùm tamen hac in re collectorum veſtigia ſint ſecuti, nec ab illis vel minimum diſceſſerint, niſi forte in eo quod Clementem Canonum Scriptorem arbitrati ſunt. Hinc conſequitur 1. vaniſſimam eſſe Beveregii ad Dallæi argumentum reſponſionem, quando nunc conſtat ipſos Canonum collectores eos Apoſtolis tribuiſſe; 2. ſeculo tertio non extitiſſe horum Canonum Codicem, aliter eum commemoraturi erant Euſebius, Hieronymus, aliique ejuſdem ætatis cum utrovis Scriptores, cùm illum præſertin Sanctis Domini Apoſtolis affictum viderent; 3. Non Eccleſiaſticos vocatos fuiſſe olim hos Canones, ut tradit pluribus in locis Vir doctus, ſed Apoſtolicos; Nam ab Apoſtolis conditos eſſe, omnibus perſuaſum voluerunt eorum primi collectores; 4. ab Apoſtolicis Viris in unum corpus minimè collectos fuiſſe, quicquid dicat Beveregius; Nam Apoſtolici Viri Apoſtolis Canones non erãt adſcripturi, quos ab illis haudquaquam ſancitos probè noverant; Reſtat igitur ut ab impoſtore quodam conflati ſint ac conſarcinati, & in hanc quam videmus ſpeciem compoſiti.

Cætera Viri docti proſequamur, & quid poſterioris Dallæani argumenti partis con- X.

G ij

firmationi reponat examinemus; Dallæus quinto exeunte ſeculo extitiſſe publicarique cœptam eſſe Canonum Apoſtolicorum Syllogen, ſic probat. *Poſterius verò ex Gelaſii decreto an.* D. CCCCLXXXXIV. *facto patet; in quo ſcilicet ea collectio damnata eſt; Ergo paucis ante illud tempus annis ab homine hæretico; Græci generis, conſarcinatam fuiſſe probabile eſt.* Hanc Dallæi conſequentiam parvi facit Beveregius, quoniam eadem ratione, ut illi quidem videtur, colligi poſſet, Arnobii, Africani, Lactantii, & ipſius quoque Tertulliani opuſcula in eodem decreto damnata, etiam paucis ante illud tempus annis conſarcinata fuiſſe. Sed pace Viri eruditiſſimi dictum ſit; Dallæi mentem, quem immeritò aſtutiæ inſimulat, non eſt omnino aſſecutus: Hæc ultima Dallæi verba cum præcedentibus cohærent, in præcedentibus hanc de quâ lis eſt ſyllogen ante an. D. CCCCLI. non innotuiſſe affirmavit, nec contrarium demonſtrare potuit Beveregius, eandem tamen collectionem exeunte ſeculo quinto Gelaſii decreto damnatam cernit; hinc jure merito concludit, paucis ante illud tempus annis conſatcinatam eſſe: quod de Arnobii, Africani, Lactantii & Tertulliani opuſculis dici nequit, quæ ſcilicet longè ante Gelaſii ætatem exarata eſſe non ignora-

Digitized by Google

mus; *ſi ingenuè, inquit, & omni, ut par eſt amoto præjudicio hos Canones tractaſſet Dallæus, eos potiùs ex hoc Gelaſii decreto multis ante illud tempus annis collectos fuiſſe aſſeruiſſet, ut pote qui iſtis etiam diebus adeò vetuſti erant, ut Canones Apoſtolorum appellati eſſent. Neque enim credibile eſt, ut quingentis propemodum poſt Apoſtolos annis ipſum eorum nomen libro alicui inſcriberetur, qui non multis ſaltem ante illud tempus annis conſcriptus fuerat.* Beveregii ratiocinatio falsâ nititur ſuppoſitione, iſtos videlicet Canones temporis lapſu *Apoſtolorum Canones* nuncupatos eſſe, cùm olim *Eccleſiaſtici* audirent; nam mox demonſtravimus ab eo quo collecti ſunt tempore, collectoribus propoſitum fuiſſe eos Apoſtolis adſcribere ac proinde *Canones Apoſtolorum* indigetare; nec ob aliud quicquam ab Apoſtolis ipſis ſancitos eſſe perſuaſum voluerunt, quàm ut eorum nomen illis inſcriberetur; vera ergo horum Canonum nomenclatura, non aliunde quam ab ipſo collectorum conſilio ac propoſito petenda eſt, qui plus ſatis ſignificarunt, non aliter quàm *Canones Apoſtolorum* appellandos eſſe, nempe plani iſti & impoſtores Apoſtolorum nomen impudentiſſimè mentiti ſunt, ut decretorum ſuorum farragini pondus darent. Perperam ergo ſcribit Bevere-

gius ex hac Canonum appellatione concludere debuiſſe Dallæum, eos multis ante Gelaſianum decretum annis collectos fuiſſe, nec obſtat quod Gelaſij ætate *Canones Apoſtolorum* appellati ſunt, quaſi majorem illis compararet ejuſmodi nomenclatura vetuſtatem: quando ita nuncupati ſunt, ubi primùm in hanc quam videmus formam fuerunt conflati: Prætereà parum ſibi conſtare videtur Vir doctus, hîc ut quivis videt ex hac appellatione eorum colligit antiquitatem, tamen paulò ſupra ex eadem Canonum denominatione eos ad ſcripta Apocrypha amandandi occaſionem arripuiſſe Gelaſium affirmare non veretur: *Ipſe quidem*, inquit, *nullus dubito, nec cuivis, ut opinor, dubium eſſe poteſt, quin ſi Apoſtolorum nomen hiſce Canonibus numquam inſcriptum fuiſſet, ſed Eccleſiaſtici tantùm Canones, ut olim ſic perpetuò appellati eſſent, nec Gelaſius eos inter Apocryphos recenſuiſſet, nec Dallæus eorum antiquitatem tot verbis unquam oppugnaſſet.* Hæc adeò ἀσύςατα videntur, ut difficilè conciliari queant: Vix enim concipi poteſt, unum eundemque libri cujuſdam titulum ad illius honorem ſimul & ignominiam præfixum fuiſſe, tamen dùm ex Apoſtolorum nomine Canonibus inſcripto eorum infers antiquitatem, ad honorem inſcriptum profiteris;

at dum in eodem quo prænotati ſunt nomine, damnationis eorum materiam quæris & argumentum ad ignominiam impoſitum non diffiteris; quæ duo, meo quidem judicio unà conſiſtere non poſſunt. Fruſtra eſt igitur Vir doctus dum Scribit Dallæi argumenta quæ infirma illi videntur, firmiſſimis refelli; Nondum enim firmiſſima illa Beveregii argumenta offendi, nec Dallæanorum infirmitatem deprehendi, fateor Scripſiſſe Dallæum hos Canones non ante quintum ſeculum idque adultum conſictos fuiſſe, nempe in hanc quam videmus ſpeciem; ſed hactenus nihil adduxit Beveregius quo hæc Dallæi conjectura confutata ſit: *Eos*, inquit, *à Patribus qui ante illud tempus, ſive ante* A. D. CCCCL. *claruerunt, ſæpius commemoratos eſſe ſuperius oſtendimus.* Nos verò vana eſſe & futilia quæ in hanc rem attulit eruditus Beveregius plus ſatis demonſtravimus: Quæ addit de Dionyſio Exiguo jam ſupra excuſſimus, dum Pearſonianas Vindicias expendebamus: Obſervatio enim Viri docti de tempore quo Dionyſius ſuam Canonum collectionem elaboravit, hypotheſi quam tuemur nequaquam nocet, cùm poſt tempus à Dallæo deſignatum facta fuerit,

Pergit Beveregius & Juſtiniani Imperatoris teſtimonio, Dallæi de Canonum XI.

antiquitate ſententiam refellere ſuamque confirmare nititur; quia hos Canones Novella VI. laudare videtur hiſce verbis quæ ex illâ conſtitutione deſcribit Vir doctus, *Quod quidem certè futurum credimus, ſi ſacri illi Canones diligenter obſerventur, quos nunquam ſatis laudati, adorationeque digni; & qui ipſum Filium Dei conſpexerunt, illique miniſtrarunt Apoſtoli nobis reliquerunt, ac Sancti Patres cuſtodierunt, & interpretati ſunt.* Hæc de LXXXV. Canonibus Apoſtolicis interpretatur Vir doctus, nec ab eo hac in re diſſentit Dallæus, ſed propterea Dallæi ſententiam non confutat Beveregius, quandoquidem Juſtinianus quinquaginta pluſminus annos poſt tempus à Dallæo denotatum Imperator renunciatus eſt: At inquit Vir doctus, ſi hi Canones præcedente tantum ſeculo eoque adulto ab hæretico aliquo confičti fuiſſent, miror nullum tunc temporis Dallæum extitiſſe, qui Imperatori aurem velleret, eumque certiorem faceret, Canones abipſo laudatos, non inter antiqua nedum Apoſtolica decreta, ſed inter nuperrimè conſarcinata recentiorum hæreticorum figmenta recenſendos eſſe. Si valeret hæc Beveregij ratiocinatio, eadem planè ratione librorum Sibyllinorum cauſam tueri poſſem: Nemo enim neſcit à Juſtino Martyre, à Theophilo

philo Antiocheno, à Clemente Alexandrino, à Tertulliano & aliis laudatos fuiſſe iſtos libros; quamvis Juſtinus iiſdem ſcripſerit diebus quibus conflata ſunt Oracula Sibyllina, Theophilus verò, Clemens, Tertullianus poſt Juſtinum quidem, ſed eodem ſeculo: ſi igitur Viri docti verba hoc pacto uſurpem, miror nullum tunc temporis Blondellum extitiſſe, qui Scriptoribus iſtis aurem velleret, eoſque certiores faceret, Oracula ab ipſis laudata, non inter antiqua nedum Noachi Nurus ſeu Beroſi filiæ Oracula, ſed inter nuperrimè conſarcinata recentiorum Impoſtorum figmenta recenſenda eſſe: ſi inquam hæc illius verba uſurpem, quid reſponſurus ſit non video; objectionem enim noſtram diluere non poteſt, quin ſuam pariter diluat, neque nobis reſpondere quin ſibi ipſi reſpondeat: idem dico de Conſtantino Imperatore qui de Sibyllinis Oraculis magnificentiùs loquutus eſt, quàm de Canonibus Apoſtolicis Iuſtinianus. Sed ut ad ipſos Canones propius accedamus, quos ab Apoſtolis ſancitos opinabatur Juſtinianus, miror nullum tunc temporis extitiſſe Beveregium, qui Imperatori aurem velleret, eumque certiorem faceret, ab Apoſtolis minimè conditos eſſe, ſed ſecundo exeunte tertiove nondum adulto ſeculo à primitivis Sy-

nodis conſtitutos, & mox etiam in corpus iſtud quod etiamnum habemus collectos fuiſſe: Nam hæc eſt de horum Canonum antiquitate Viri docti ſententia. Tamen quemadmodum ex eo quod nullus Beveregius Imperatorem hac de re monuit, non ſequitur Canones ab Apoſtolis reapſe ſancitos eſſe, ſic etiam ex eo quod nullus tunc temporis Dallæus extitit qui Juſtinianum certiorem redderet iſtorum Canonum Syllogen à recentioribus impoſtoribus, in eam quam videmus formam conflatam eſſe, non ſequitur adeò vetuſtam eſſe ut exiſtimat Vir doctus; Ultra progreditur doctiſſimus Beveregius, & quoniam Joannes Preſbyter Antiochenus qui circa ſuprema Juſtiniani Auguſti tempora ad thronum CP. promotus eſt, Canones Apoſtolicos in ſuo Nomocanone reliquis Synodalibus interſeruit, hinc colligit partem Nomocanonis prius conſtitutos eſſe: Verùm quando nullam dicti ſui rationem adfert, nulloque Veterum Scriptorum teſtimonio ſuam confirmat aſſertionem, non eſt quod in iſtis refellendis immoremur, unum tamen eſt quod ſatis mirari nequeo, Beveregium ſcilicet hoc gratis proferre, nulla prorſus mentione factâ alterius Nomocanonis Joannis Antiocheni Nomocanone vetuſtioris; ſi oſtenderet Vir doctus exti-

tiſſe ante Joannem Antiochenum Nomocanonem cui inſerti erant Apoſtolici Canones, concederemus eos à Joanne Antiocheno aliorum exemplo ſuo inſertos eſſe; At quia nihil ejuſmodi demonſtrare poteſt, perperam aſſerit Joannem Antiochenum Apoſtolorum Canones ſuo Nomocanoni inſeruiſſe, eo nomine quod pars Nomocanonis prius conſtituti eſſent; Certè ſatius erit dicere Joannem Antiochenum ſua ſponte nulloque provocatum exemplo hoc feciſſe, poſt ſuam Canonum collectionem ante Nomocanonem elaboratam, & in quâ primi occurrunt Apoſtolici, ſaltem dum exhibetur Canonum ordo ſeu diſpoſitio, necnon in totius Operis Præfatione. Nec quicquam cauſæ eſt cur Juſtiniani Imperatoris Dignitatem, atque doctiſſimorum Virorum quos ille ad Eccleſiaſticas pariter ac civiles colligendas leges undique convocaverat, urgeat eruditionem, perinde ac Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi, reliquorumque Græcarum Eccleſiarum Antiſtitum, ut inde concludat Canones Apoſtolicos quos ab omnibus obſervari præcipiunt, adeò vetuſtos eſſe, ut ſi non ab ipſis Apoſtolis, à Viris ſaltem Apoſtolicis ſecundo tertiove poſt Chriſtum incarnatum ſeculo conſtitutos eſſe; Plus enim ei largimur quàm

Digitized by Google

poſtulat, fatemur ſiquidem Juſtinianum & Viros illos doctiſſimos quorum meminit, exiſtimaſſe Canones de quibus lis eſt ab ipſis Apoſtolis verè conditos eſſe, ac proinde antiquiſſimos utpote primis Chriſtianiſmi annis conſtitutos; & niſi hoc eis perſuaſum fuiſſet, eos dubio procul tanquam fictos & ſpurios rejeciſſent: Beveregius autem diſertè negat ab Apoſtolis fuiſſe ſancitos, nihil ergo in gratiam hypotheſis ſuæ exſculpere poteſt, vel à Juſtiniano, vel à Joanne Antiocheno, vel à cæteris quos deſignat Viris doctiſſimis; Antiquitas enim quam Canonibus adſcribunt Apoſtolicis, ab eâ planè diverſa eſt quam illis tribuit Vir doctus; illi ſiquidem nullam aliam eis affingunt antiquitatem, præter Apoſtolicam ab ipſis manantem Apoſtolis, quos velut legitimos Canonum parentes venerantur, alia mens Beveregio qui eos ſecundo tertiove ineunte poſt Verbi incarnationem ſeculo conditos arbitratur: Hæ duæ opiniones ut quivis videt ſibi inuicem adverſantur, nec amicè conciliari queunt; Nam ſi obtinet Juſtiniani de Canonum antiquitate ſententia, ruit Beveregiana; At ſi ſtat Beveregiana, peſſum ibit Juſtinianea: Quomodo quæſo una conſiſtere poſſunt duæ opiniones, quarum altera Canones ab ipſis Apoſtolis ſancitos affir-

mat, altera verò tertio ineunte ſeculo longè poſt mortem Apoſtolorum conſtitutos eſſe contendit? Et quamvis minus abſurdam putem Beveregii quàm Juſtiniani de Canonum vetuſtate ſententiam, non ideo probabilis mihi videtur, cùm nullo ſolido nitatur fundamento, nulliſque rationum momentis hactenus confirmari potuerit.

Porrò Vir doctus conjecturam ſuam profert de primo Canonum collectore, quem Clementem Alexandrinum arbitratur, & hujuſce conjecturæ rationes adducit in Canonem ultimum pag. 40. ubi obſervat primò eundem fuiſſe, qui Canones hoſce, ac qui Conſtitutiones Apoſtolicas collegit, & quidem eum Clementem nuncupatum fuiſſe, quem tamen alium eſſe ab Epiſcopo Romano, qui ad Corinthios ſcripſit, exinde liquere opinatur, quod Clemens iſte ab Epiſtolarum ſcriptore diſtinguitur, ſaltem ita videtur Beveregio, quoniam dùm in ipſo Canone Clementis Epiſtolæ commemorantur, non dicitur ἐμοῦ Κλήμεντος, ſed in genere, ſine adjecto pronomine, *Clementis Epiſtolæ duæ;* at ubi de Conſtitutionibus agitur pronomen etiam præficitur, *Conſtitutiones vobis Epiſcopis per me Clementem* δι' ἐμοῦ Κλήμεντος. Hæc Viri docti obſervatio adeò levis eſt, ut ſatis mirari ne- XII.

Digitized by Google

queam cur eam ſcripto mandare voluerit; Ex ipſis ſiquidem Conſtitutionibus liquet, impoſtorem qui eas in illam quam videmus ſpeciem conſarcinavit, omnibus perſuaſum voluiſſe illas ab ipſis Apoſtolis ſcriptas & per Clementem Romanum fuiſſe perlatas, prout à Dallæo fuſé ac ſolidè demonſtratum eſt de Pſeudepigraphis lib. I. Cap. XIX. Verùm miſſis iſtis Conſtitutionibus quæ non ſunt inſtituti noſtri, ad Canones redeo quos ab eodem Clemente, non Romano illo quidem, ſed Alexandrino, æquè ac Conſtitutiones, collectos ſuſpicatur; ſed quantum à vero aberret hæc Beveregii conjectura, omnique prorſus careat veriſimilitudine, jam ſupra demonſtravimus, dum eam fuiſſe Collectorum mentem probavimus, ut verè ab Apoſtolis omnes conditi, atque editi crederentur, & hic, qui eos continet Codex ab ipſis Apoſtolis factus promulgatuſque cenſeretur quod certè ex Canonibus XXIX. L. LXXXII. & LXXXV. colligitur. Vir tamen doctus apud Euſebium ſe reperiſſe putat, quo conjecturam ſuam tueatur, quia ſcilicet Euſebius Hiſt. lib. 6. cap. XIII. teſtatur Clementem Alexandrinum librum ſcripſiſſe cui titulus fuit Κανὼν ἐκκλησιαστικὸς ἢ πρὸς τοὺς ἰουδαΐζοντας, quæ verba ſic latinè reddidit Clariſſimus Valeſius, *Liber ille qui*

Eccleſiaſtica regula inſcribitur, ſeu adverſus eos qui errores Judæorum ſequuntur. Nec quicquam in illa verba ut pote intellectu facillima annotavit Vir ille eruditiſſimus, liquido enim conſtat regulam illam cujus memi[illegible] Euſebius eos ſolùm ſpectare qui Judæorum ſequebantur errores : Ex illis tamen infert Beveregius Clementem Alexandrinum primum fuiſſe Canonum Apoſtolicorum Collectorem ; ſed nullius planè momenti erit iſta Beveregii inductio, quandiu non probabit omnes quibus de agimus Canones, adverſus eos qui errores Judæorum ſequuntur, conſtitutos eſſe; hoc ſiquidem Canonis Eccleſiaſtici à Clemente conſcripti & ab Euſebio commemorati unicum fuit argumentum, nec alios quam judaizantes feriebat : Euſebii verbis adjicit D. Hieronymi teſtimonium qui in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum eundem Clementem Scripſiſſe refert, *De Canonibus Eccleſiaſticis, & adverſum eos, qui Judæorum ſequuntur errorem* ; idem obſervat Photius à Viro docto etiam laudatus Cod. CXI. ſed ipſiſſima Sophronii Hieronymiani Catalogi Interpretis Græci verba non deſcribit, nec etiam Euſebii, quamvis iſtius menti ſeſe accommodet, ejuſque verborum ſenſum non malè exhibeat hoc pacto, Scripſit *de Canonibus Eccleſiaſticis,*

Digitized by Google

adverſum eos qui Judæorum ſequuntur errorem; Photius ergo æque ac Euſebius teſtatur librum Clementis de Canonibus Eccleſiaſticis, adverſum judaizantes tantùm conſcriptum fuiſſe; Hieronymus verò qui opus adverſus judaizantes à Canonum Eccleſiaſticorum libro diſtinguere videtur, ipſius Euſebii verbis à quo ſua accepit emendādus eſt, & in rectam à quâ deviavit viam revocandus: Præterea liber Canonum Eccleſiaſticorum non idem eſt cum libro Canonum Apoſtolicorum: *At Canones hoſce* (inquit Beveregius pag. 40.) *qui jam* APOSTOLICI *vocantur*, ECCLESIASTICOS *olim dictos fuiſſe, in Præfatione ex Veterum Scriptorum monumentis palam fecimus.* Nos verò contrà luce meridianâ clarius demonſtravimus, Canones illos Eccleſiaſticos, quorum in Præfatione meminit Vir doctus, alios planè fuiſſe ab Apoſtolicis, qui ubi primùm in unum corpus collecti ſunt, Apoſtolorum nomen juxta Collectorum mentem prætulerunt, & Apoſtolici appellati ſunt; Quamplurima in iis, ait pag. 40. contra Judæos decernuntur, eſto, decernantur in hiſce Canonibus quamplurima contra Judæos, dummodo plerique, quod diffiteri non poteſt Beveregius, aliò reſpiciant, & in alium collineent ſcopum; Liber autem Clementis cui titulus fuit Canon

non Eccleſiaſticus adverſus ſolos Judaizantes compoſitus eſt, nec alios perſtringebat præter eos qui Judæorum ſequebantur errores, ſive in Paſchatis celebratione, ſive in cæterorum Synagogæ Judaicæ rituum obſervatione. Ergo tantum abeſt ut credibilis ſit Beveregii conjectura, in dicto ſcilicet Clementis libro Apoſtolicos hoſce Canones primò collectos fuiſſe & divulgatos, quòd nihil magis abſonum magiſque abſurdum ab eo uſpiam dici potuerit.

Poſteaquam ea omnia diſcuſſimus quæ pro ſuorum Canonum antiquitate in Præfatione adduxit eruditiſſimus Beveregius, quæ in ſingulis explicandis Canonibus obſervat, ſupereſt ut percurramus, quæ inquã ad rem quam tractamus ſpectant: Sed quoniam pleraque à nobis hactenus confutata ſunt, vel à Dallæo occupata fuerant ac exploſa penſum ſuſceptum facilè abſolvemus, verbi gratia ad Can. I. & LXXVI. minimè reſpexiſſe Theodoretum Hiſt. lib. 5. cap. XXIII. oſtendimus, nec ad XVI. cum XII. XIII. Alexandrum Alexandrinum Epiſcopum apud Theodoretum Hiſt. Eccleſ. lib. I. cap. IV. nec denique probari poſſe ſeptimum à Conciliis quorum meminit Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. XXIII. ſecundo ſeculo exeunte conſtitutum eſſe. Canones autem XXI. XXII. XXIII. XXIV. XIII.

de iis qui ſe abſcindunt, expenderat Dallæus, eorumque novitatem ex iis quæ decernunt appoſite collegerat, varia proferens voluntariæ abſciſſionis exempla, Origenis imprimis qui corpus ſuum evirare auſus eſt, ejuſmodi facinus minimè aggreſſurus egregius adoleſcens, tantæque jam in illa ætate eruditionis, *ut Scholæ Alexandrinæ Eccleſiæ præeſſet*, ſi in publicâ Eccleſiæ luce extitiſſent tunc temporis Canones ſub excommunicationis vel depoſitionis pœna id prohibentes; Veri tamen haud diſſimile videtur, ſi Beveregium audimus, aliquos ſaltem eorum, ſi non omnes, ad quos Demetrius ſcripſerat, Epiſcopos, in unum congregatos, hac de re deliberationem injiſſe, & quatuor hos de Eunuchis Canones vel primò conſtituiſſe, vel ante conſtitutos renovâſſe, quod ultimum illi magis arridet; Mihi verò ſummopere diſplicet, non ſolum quia omni prorſus veri ſpecie caret Origenem adeò audax facinus fuiſſe aggreſſurum, ſi extitiſſet aliquis ejuſmodi Canon, ſed etiam quoniam Demetrius de violato ab Origene Canone nuſquam conqueſtus eſt, iſtjuſmodi Canonis, inquit Vir doctus, expreſsè non meminit, eum tamen obſcurè indigetare videtur, cùm de ſpontaneâ Origenis exectione certior factus, eum *bono animo eſſe*

Jubet, Euſeb. Hiſt. lib. 6. cap. VIII. Quis præter Beveregium ex iſtis Demetrii verbis concluderet aliquem aduerſus eos qui ſe abſcindunt Canonem ab Origene violatum eſſe? Nonne abunde ſufficiebat Demetrio, quod Origenes rem adeò abſurdam, & à naturæ, civitatumque, ac Dei denique ipſius legibus alienam auſus eſſet, ut illum bono animo eſſe juberet? Nollem equidem negare, neque negabat Dallæus, quin ex Origenici facinoris occaſione, aliquis fortaſſe ab Alexandrinis ante Concilium Nicænum hac de re conſtitutus fuerit Canon; At inde non ſequitur ad eandem ætatem pertinere quam habemus Canonum Apoſtolicorum Syllogen; Impoſtor qui eam conſarcinavit ſua de iis qui ſe abſcindunt decreta, vel ab hoc Canone ſi quandoque extitit, vel potius à Nicæno primo mutuo accepit. Demetrius, inquit Vir eruditus, Cæſarienſem & Hieroſolymitanum Epiſcopos criminatus eſt, quod Origenem in Presbyterii gradum promoviſſent, videlicet contra Can. XXII. quo conſtituitur, ut *qui ſe mutilavit, ne ſit Clericus.* Niſi enim, pergit Beveregius, hujuſmodi decretum antea editum fuiſſet, non video quare Demetrius hoc iis vitio verteret. Ego verò aliam iſtius criminationis cauſam reperio, in eo ſcilicet quod

Digitized by Google

commemorati Epiſcopi Origenem ditionis non ſuæ ad Presbyterii gradum, inconſulto Demetrio promoverunt; hanc autem fuiſſe veram ac legitimam criminationis cauſam innuit Euſebiùs Hiſt. lib. 6. cap. VIII. poſtquam enim obſervavit Demetrium erga Origenem mutatum, illius facinus litteris ad omnes ubique terrarum Epiſcopos Scriptis, proſcindere tanquam abſurdiſſimum cæpiſſe, continenter addit, *quia*, vel ut vertit Clariſſimus Valeſius, *quippè probatiſſimi & maximè inſignes apud Palæſtinam Antiſtites, Cæſarienſis ſcilicet & Hieroſolymitanus, cùm Origenem prærogativâ & ſupremi honoris apice dignum judicaſſent, manus ei imponentes Presbyterum ordinaverant.* Hoc certè Demetrio doluit, idcircò eos accuſationibus ſuis conatus eſt involvere, nec aliter hunc Euſebii locum interpretatur idem Valeſius in annotationibus ſuis, ut fatetur ipſe Beveregius: *Euſebius* (inquit p. 114.) *cauſam aperit, cur Demetrius qui antea Origenem tantopere dilexerat ſubitò mutatus, eum ubique litteris ſuis laceraverit; eo quod ſcilicet Cæſarienſis & Hieroſolymitanus Epiſcopi eum ad Presbyterii gradum promoviſſent. In quo non mediocris injuria Demetrio illata eſſe videbatur, tum ab Epiſcopis illis, tum ab Origene. Ab Origene quidem, quod ab externis Epiſcopis manus ſibi imponi paſſus fuiſſet,*

nec ab Epiſcopo civitatis ſuæ honorem illum Preſbyterii expectaſſet : ab Epiſcopis verò, quod Alexandrinæ ſcholæ Magiſtrum hoc facto ad Eccleſiam ſuam tranſtuliſſent. Nec obſtat Epiſtola Eccleſiaſtica, quam ſecum attuliſſe Origenem Athenas per Palæſtinam, ubi ordinatus eſt, proficiſcentem teſtatur Hieronymus in Catalogo, in Origene & in Alexandro Hieroſolymitano Epiſcopo : Nam ſi vera ſunt quæ narrat Hieronymus, Epiſtola illa commendatitia tantùm fuit, ut debitum ſcilicet inculpatis ejus moribus teſtimonium perhibendo, à fratribus perhumanè exciperetur, illud teſtimonium ſignat Alexander apud Hieronymum dum ait Origenem juxta Demetrii teſtimonium Presbyterum à ſe conſtitutum eſſe. Verùm teſtimonium Origeni à Demetrio perhibitum, nullum jus Alexandro Palæſtiniſque Epiſcopis in eum concedebat, ideoque eum ſine Epiſcopi Alexandrini conſenſu Presbyterum ordinare non poterant. Præthereà de veritate Epiſtolæ quam ſecum attuliſſe Origenem refert Hieronymus non ſatis conſtat, illius ſaltem non meminit Euſebius ; Photius verò vel potius Pamphilus Martyr & Euſebius apud illum Cod. 118. contrarium planè teſtantur, Origenemque abſque Demetrii veniâ Athenas profectum eſſe

tradunt, hincque in eum excitatam omnem tempeſtatem commemorant hoc pacto: *Demetrius Alexandriæ Præſul, Origenem multum laudans, in paucis cariſſimum habebat. At cum hic abſque bonâ ſui Epiſcopi veniá Athenas profecturus eſſet, Theotecnus Cæſareæ Palæſtinæ tum Epiſcopus, ſecus eum quàm opporteret, Presbyterum ordinavit, non improbante factum hoc Alexandro Hieroſolymorum Epiſcopo. Hinc Demetrio amor in odium vertit, laudeſque mox cum vituperatione commutatæ.* Nec quicquam cauſæ eſt cur iſta Ægypti & Alexandriæ Epiſcoporum in Epiſtolâ Synodicâ adverſus Origenis doctrinam, verba laudet Vir doctus, *Presbyter Ordinatus à Canonicâ & ab unâ verâ manu.* Nam primo nimis recentes ſunt hi teſtes, ut de re adeó antiquâ & ante ccc. annos geſtâ certò teſtari poſſint, deficiente præſertim vetuſtiorum autoritate; Secundò craſſiſſimam rerum Origenis produnt ignorantiam, dùm ſcribunt eum ab Heracla Alexandriâ pulſum eſſe quod tamen à Demetrio Heraclæ deceſſore factum eſſe nemo neſcit; Tertiò etiamſi demus Viro docto Epiſcopos Ægypti & Alexandriæ agnoſcere Origenem à Canonica manu ordinatum eſſe, ne hilum quidem proficiet, cùm hoc ſolum ſignificare voluerint, Origenem ab Epiſcopo rite & Canonicè

In quintâ Synod. Univerſal. tit. 4. Concil. pag. 530.

ordinato ad Presbyterii gradum fuiſſe promotum, & fortè ab ipſo Demetrio promotum falſò putarunt, & deinde ab Heracla ejus ſucceſſore Alexandriâ pulſum adeò iſtarum rerum fuerunt ignari. Ex his omnibus liquet Demetrium Epiſcopos Cæſarienſem & Hieroſolymitanum criminatum eſſe, quod ſuæ ditionis hominem ſe inconſulto Presbyterum conſtituerunt, in Origenem verò exarſiſſe quod ab externis Epiſcopis manus ſibi imponi paſſus eſt, cùm ab Epiſcopo civitatis ſuæ honorem illum Presbyterii expectare debuiſſet.

Argumento ex Canone xxv. ducto quaſi à Baſilio ſub *antiqui Canonis* nomine laudatus eſſet abundè ſatisfecit Dallæus, quæ de Prætextato Rhotomagenſi Epiſcopo ibidem ſcribit Beveregius, Dallæi de Canonum antiquitate ſententiam nimimè pulſant: Hanc enim Canonum ſyllogen ſeculo quinto adulto conflatam ac conſarcinatam eſſe arbitratur Dallæus, quæ autem in Can. xxv. ex Gregorio Turonenſi narrat Vir doctus ſeculo ſexto inclinato & ferè præcipiti contigerunt, hoc eſt centum circiter annos poſt tempus à Dallæo denotatum: Nemini igitur mirum videri deberet, ſi intra tantum temporis intervallum, hiſce Canonibus conſenſum tandem præbuiſſent Gallicani Præſules; Verùm XIV.

rem ita narrat Gregorius Turonenſis ut Beveregii cauſæ non parùm noceat; ex illâ, ſiquidem narratione liquet Canones quibus de agimus Gallicanis Epiſcopis hactenus incognitos fuiſſe, nec Canonum Codici quo utebantur inſertos: Nam Gregorius de quaternione qui Apoſtolicos continebat Canones, tanquam de novo quaternione loquitur, & Gallicano Canonum Codici nouiſſimè adnexo: Beveregius cautè egit, & quaternionis novitate offenſus, hæc Gregorij verba *quaternio novus* in iſta commutavit, *quaternio unus*; Gregorius tamen quaternionem illum novum nuncupat, & de Rege Chilperico qui eum tranſmiſerat verba faciens, ſic rem narrat. *Ipſe verò ad Metatum diſceſſit, tranſmittens librum Canonum in quo erat quaternio novus adnexus, habens Canones quaſi Apoſtolicos continentes hæc: Epiſcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehenſus à Sacerdotio divellatur.* In Canonem XXVI. innuit Concilium Chalcedonenſe Can. 14. ad hunc Apoſtolicum Canonem reſpexiſſe his verbis, *Quoniam in nonnullis Provinciis conceſſum eſt Lectoribus & Cantoribus uxores ducere:* Sed fallitur Vir doctus, Canon ſiquidem Chalcedonẽſis nonnullas tantùm memorat Provincias in quibus Lectoribus & Cantoribus conceſſum erat uxores ducere:

Greg. Tur. Hiſt. li. 5. c. 18.

ræ: Apoſtolicus verò illis ſolis ubique gentium hoc permittit, illis inquam ſolis ut habent Canonis verba; *Ex iis qui non ductâ uxore ad clerum promoti ſunt, jubemus, ſi velint, uxorem ducere, Lectores & Cantores ſolos*: At Chalcedonenſes Patres voce excluſivâ *ſolos* non utuntur, nempe ad nonnullarum Provinciarum conſuetudinem reſpiciebant, in quibus Lectoribus & Cantoribus hoc jus concedebatur, verbi gratia in Africanis ubi non ſoli Lectores & Cantores, ut ſciſcunt Apoſtolici Canones, hoc jure gaudebant, ſed quotquot ad Clerum promoti erant, exceptis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis, prout liquet ex Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ Can. III. IV. XVI. LXX. quorum tres primi anno Domini CCCCXIX. conditi ſunt, ultimus anno CCCCI. ſancitus fuit, & ad varias Eccleſiarum conſuetudines perinde ac Chalcedonenſis accommodatus, ecce Canonis verba, *Præterea, cùm de quorumdam Clericorum, quamvis erga uxores proprias, incontinentia referretur: placuit, Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos ſecundùm priora ſtatuta etiam ab uxoribus continere: quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur officio.* CÆTEROS AUTEM CLERICOS *ad hoc nō cogi, ſed ſecundum uniuſcuiuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere.* Profectò non eſt ve-

K

riſimile Carthaginenſes Patres hoc Decretum ſancituros eſſe, nec Eccleſiarum conſuetudinem memoraturos, ſi extitiſſet tunc temporis Apoſtolicus Canon qui ſolis Lectoribus & cantoribus uxores ducendi poteſtatem concedit. Canonem XXIX. contra Simoniacos expendimus & adverſus Pearſonium demonſtravimus nihil pro iſtius Sylloges antiquitatehinc exſculpi poſſe; Tamen ſi Beveregio credimus hic Canon ipſis Tertulliani diebus obſervatus eſt, quoniam Tertulianus hæc ſcribit Apolog. cap.XXXIX. *Præſident probati quique ſeniores honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti, neque enim pretio ulla res Dei conſtat:* Fateor obtinuiſſe ipſis Tertuliani diebus ſanctiſſiman hanc diſciplinam, ut nemo per pecunias ad Ecclſiaſticas promoveretur Dignitates; At inde ſequi nego obſervatum fuiſſe tunc temporis Apoſtolicum Canonem: Immò ex hac Tertullianei ævi diſciplinâ, & ex Canonibus S. Baſilii & Concilii Chalcedonenſis, & forſan aliis ſuum conflavit Planus ille qui iſtam Canonum farraginem conſarcinavit. Argumentis ex Canonibus. XXXIV. XXXV. XLIX. L. deſumptis occurrit Clariſſimus Dallæus: Nos verò ea refellimus quæ ex XXXVII. XL. XLV. XLVII. deſcripta ſunt. Cæteris quæ à triginta quinque poſtremis Canoni-

bus ſibi miniſtrari putat Beveregius abunde etiam vel à Dallæo vel à nobis ſatisfactum eſt, necnon iis omnibus quæ à vetuſtioribus Scriptoribus & ab antiquis deprompſit Synodis ad eandem Canonum antiquitatem ſtabiliendam ac confirmandam. Quamobrem hîc ſiſto gradum, etſi plures adhuc in annotationes Beveregianas fieri poſſent obſervationes, cum in eas quibus Canones illuſtravit Apoſtolicos, tum in alias quibus cæteris Canonibus aliquam lucem afferre conatus eſt: ſed ne ſcribendi cacoëthe me laborare putet eruditiſſimus Beveregius, hoc labore haud invitus ſuperſedeo: Eo magis quod præſtantiſſimun Dallæum Virum nunquam ſatis laudatum adverſus duos celeberrimos adverſarios tueri ac defendere tantùm mihi propoſitum fuit: an id rectè præſtiterim necne, aliorum eſto judicium.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google